ELEMENTA
THEOLOGIAE PRACTICAE
AD USUM STUDIOSAE JUVENTUTIS.

TOMUS PRIMUS

Complectens Tractatus de Conscientia & de Legibus, de Peccatis, & de Fide, Spe, & Caritate.



NEAPOLI
Excudebat Publica Auctoritate
JOSEPH ANTONIUS ELIA.

MDCCLXIX.

Non afferamus ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes : Hoc grave, hoc leve eſt : ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis tanquam de theſauris dominicis, & in illa quid ſit gravius, appendamus : imo non appendamus, ſed a Domino appenſa recognoſcamus. S. Auguſt. lib. II. de Bapt. cap. 6.

IN ELEMENTA THEOLOGIAE PRACTICAE

ANTELOQUIUM.

NIHIL utilius, nihil ſalubrius, nihil tandem hominum vitae accommodatius, quam ſcientia morum ac diſciplina. Haec autem non eſt, niſi Evangelium ipſum, quod veluti evolutum atque explicatum ad certos quoſdam canones revocatur. Evangelium porro Chriſtus eſt, qui via, veritas, & vita eſt. Qui igitur ex Evangelio colliguntur canones, rectam praeſeferunt viam, qua Chriſtus ipſe nos ad veram juſtitiam ducit: eorum ſtudium in purae ſempiternaeque veritatis contemplatione verſatur: ac demum eorum praxi aeterna apprehenditur vita. Hanc ſane viam humana Philoſophia deplorandis ignorantiae tenebris ſepulta non agnovit: hanc Judaicae Genti, quae umbras duntaxat & rerum caeleſtium imagines conſectabatur, ingredi non licuit: hanc denique non aſſequitur ea ſcientia, quae ſecundum litteram eſt, non vero ſecundum ſpiritum. Per Evangelium ſolum, quo Chriſtus nunciatur, in quo Chriſtus loquitur, & ſuos alit ac nutrit, verae juſtitiae viam no-

novimus atque ingredimur, purae veritatis luce circumfundimur, atque aeternae vitae spiritu augemur. Quamobrem qui morum disciplinam negligit, is quidem a recta via deflectens, in tenebris & umbra mortis sedens, Evangelium salutis, atque uberrimos fructus, quos Salvatoris adventus hominibus comparavit, plane contemnit.

Atque hinc sane deprehendere licet, tanto intervallo hanc morum doctrinam a Philosophorum scientia separari, quantum divina distant ab humanis. Qui enim ingenii sui arbitrio atque humano spiritu ducti, de moribus disserere tentarunt, fieri vix potuit, quin turpiter decepti in aliquem errorem impegerint. Nam ea optimis admiscent rebus, quae sensuum illecebrae, aut phantasiae praestigiae, aut cupiditatum lenocinia cuique licet multa meditanti suggerere solent. Quae autem inde in hominum animos obrepunt, ea quidem plane decipiunt. Ita enim veritas aut omnino, aut maxima saltem ex parte tenebris obsita delitescit, quippe quae sensibus, imaginationi, ac potissimum cupiditatibus inimica adversatur: Ad summum humanos affectus olet quidquid humanum est.

Evangelium vero plane divinum divinos praefert affectus, divinum afflatum, divina consilia. Nos quidem hisce

um-

umbris, quibus immergimur, obſcurati, hiſce morbis, quibus urgemur, vexati ac plane conſumti, nonniſi Deo magiſtro, nonniſi Deo noſtrorum malorum medico indigemus. Lux ſane nonniſi caelitus immiſſa ignorantiae tenebras diſpellere, medicina nonniſi divinitus allata cupiditates ſanare potuit. Reliqua enim omnia ad ornatum civitatis, ad honeſtatem ſeculi pertinere potuiſſent; ad ſalutem vero, ad vitam, ad juſtitiam proficere non potuiſſent: quin imo ne initium quidem ſalutis, vitae, ac juſtitiae inchoaſſent. Quippe id noſtrum vitium eſt, ut humana ſcita perſaepe in ſuperbiae ſegetem convertamus, ac *veritatem in injuſtitia detineamus*, ut ait Apoſt. *ad Rom.* V. 18.

Ea autem eſt indoles Evangelii, quo novum cum hominibus Dei foedus initum eſt, ut non ſolum credenda & agenda proponat, omnia ſcilicet pietatis officia complectatur: verum etiam credentibus & agentibus aeterna promittat, atque ad credendum & agendum fidei & actionis ſpiritum impertiatur. Id enim potiſſimum diſcriminis Vetus inter ac Novum Teſtamentum intereſt, quod illud Salvatorem monſtret, hoc vero praebeat: illud ſalutem ſignificet, hoc exhibeat: illud juſtitiae imaginem praeferat, hoc juſtitiam ipſam infundat.

Quid ergo praeſtantius ad dicendum,

suavius ad utendum, felicius ad assequendum, quam morum scientia? Ea sane quam Christus docuit, suoque sanguine confirmavit, suoque imbuit spiritu, seque ipso cum Patre & Spiritu Sancto ut praemio cumulavit?

I.

Ea vero, quae de Deo, rebusque a Deo revelatis Theologia christiana disputat, licet ad duo capita reducantur, credenda scilicet & agenda; artissimo tamen vinculo haec duo ita inter se conjuncta sunt, ut nulla unquam ratione a se invicem divelli debeant. Est namque ex Apostolo *ad Tit.* I. 1. Theologia christiana non quaevis veritatis speculatio, sed scientia, ut modo diximus, quae pietatem, verumque Dei cultum promovet ac fovet, ex quo spes vitae aeternae nobis offertur. Itaque qui veri nominis Theologus esse cupit, utramque Theologiae partem amplectatur & colat necesse est. Praecedat cognitio credendorum, ne in tenebris ambulemus: subsequatur praeceptio agendorum, ne scientia, praxi destituta, inflet. Profectus noster non sit minus in *cognitione ad Coloss.* III. 10. quam in *justitia & sanctitate ad Eph.* IV. 24.

Nihil interea obstat, quo minus peculiaris Theologiae pars constituatur, quae speciatim de agendis praecipiat. Etsi enim in

in praxi vitae chriſtianae credenda & agenda ſint conjunctiſſima ; diſtincte tamen & credenda & agenda ita ſtricte ſumta conſiderari poſſunt : quod in hoc opuſculo contracta ac facili methodo exponere aggredimur.

Et primo quidem haec Theologiae pars, quia agenda ſeorſum conſiderat, *practica* vocari ſolet, ab objecto ſcilicet, non vero a fine. Ratione enim finis tota Theologia practica eſt. Dicitur quoque *moralis*, quia ad mores informat.

II.

Porro hujus ſcientiae principium, quod in diſcendo, ac docendo ſequi debemus, *divina* eſt *revelatio*, ſeu doctrina aut ſcripto, aut traditione nobis a Deo revelata. Atque ex eo certo ac ſtabili principio Theologia noſtra ſuas haurit concluſiones. Humana vero ratio tanquam pediſſequa, divinae auctoritati famulatum praeſtare debet. Haec praeit, ſequitur illa. Revelatio rationem illuſtrat, ac dirigit; ratio ſic inſtaurata revelationem defendit, promovet, amplificat. Uſum autem tum auctoritatis, tum rationis, praeſtituto ordine, Theologo neceſſarium aſſerunt Patres omnes. Prolixitatis vitandae gratiâ unum adduco *Auguſtinum*, qui *lib. de Mor. Eccl. cap.* 12. inquit : „ Quamlibet ratio-

„ nis acumine polleamus, naturae ordo ita
„ se habet, ut dum aliquid discimus, ra-
„ tionem praecedat auctoritas. „ Et *cap.*
25. subdit: „ Unde illud exoritur, quod
„ ab initio satis egimus, nihil in Ecclesia
„ catholica salubrius fieri, quam ut ratio-
„ nem praecedat auctoritas. „

Hinc I. Scientiae hujus colligitur certitudo, quae cognitionem complectitur earum rerum, quae cum principiis firmis ac stabilibus legitima connexione nectuntur. Procul hinc omnem Casuistarum scepticismum abesse jubemus. Hi enim, neglectis revelatae doctrinae principiis, ad regulas ex humano arbitrio constitutas, casuum conscientiae resolutiones revocant; quaestionem in utramque partem versant, & contrarias opiniones aeque honestas defendunt: ita ut potius crederes audire Carneadem pro & contra justitiam disputantem, ut ait *Lactan. Instit. divin.* V. 16. quam christianum Theologum de lege divina differentem. Theologus ille solus est dicendus, ajebat *Melchior Canus*, qui de Deo rebusque divinis apte, prudenter, ac docte e Litteris institutisque sacris ratiocinetur.

Hinc II. magnum colligitur discrimen Philosophiam inter, ac Theologiam Moralem. Differunt enim 1. quod ad cognoscendi principium: in Theologia *revelatio* est, *recta ratio* in Philosophia. 2. Quod ad media perveniendi ad summam felicitatem; hoc

Theo-

Theologiae proprium eſt : Philoſophia vero haudquaquam ſuppeditat. 3. Quod ad morborum mentis accuratam deſignationem, eorumque cauſſam ac profunditatem; haec omnia Philoſophia ignorat, aſſequitur autem Theologia. 4. Quod ad officiorum normam, eorundemque formam: Theologia enim non ſolum ad naturae legem, quam ſolam Philoſophia reſpicit, ſed ad legem divinam hominum actiones exigit. Unde conſequitur, Theologum officia quaedam tradere, quae Philoſophus plane ignorat. Uno verbo Philoſophus ex ratione, Chriſtianus ex Fide, Spe, & Caritate vivit. Multis ergo & infinitis modis Theologia Moralis Philoſophiae praeſtat. Verum Philoſophia non omni deſtituitur uſu, tum in divinae revelationis veritate comprobanda, tum in animis ad diſciplinam chriſtianam praeparandis.

III.

Doctrina revelata ſive ſcripto ſive traditione ſufficit ad comparandam Theologiam, quae jus divinum ſpectat. In ea enim revelata doctrina veritates omnes continentur, vel ex eadem colliguntur, ſive, ut cum Scholaſticis loquar, in ipſa veritates omnes continentur vel expreſſe, vel virtualiter & implicite, ſicut in principiis concluſiones. Hinc clare deducitur, quam neceſ-

ceſſarium ſit Morali Theologo ſtudium ſacrarum Scripturarum, ac SS. Patrum. Scripturae teſtimoniis conſcientiae caſus reſolvebant veteres Eccleſiae Doctores, quos antiquos Caſuiſtas vocat *Fleurius Hiſt. Ecclеſ. lib.* VII. *num.* 57. ut videre eſt in epiſtolis canonicis S. Gregorii Thaumaturgi, ac S. Dionyſii Alexandrini aliorumque. Scientia, quae antiquis temporibus in Sacerdotibus requirebatur, erat ſcientia ſacrarum Scripturarum. Atque ita in eis verſati ſunt, ut inde poſſent rationem reddere de Fidei articulis, & diſciplinae regulas oſtendere: legeſis laudat. Hiſtoricum *in Diſſert.* 1. *ad* 6. *prior. ſec. num.* 13. Innumera eſſent de hac neceſſitate adſtruenda SS. Patrum teſtimonia: unus pro omnibus ſufficiat *Auguſtinus*, qui Scripturas ſanctas appellat *divinas ſtateras*, ex quibus quid ſit grave, quid ſit leve dignoſcitur. Ait enim lib. II. *de Bapt. cap.* 6. „ Non „ afferamus ſtateras doloſas, ubi appen- „ damus quod volumus, & quomodo „ volumus, pro arbitrio noſtro dicentes: „ Hoc grave, hoc leve eſt: ſed afferamus „ divinam ſtateram de Scripturis ſanctis „ tanquam de theſauris dominicis, & in „ illa quid ſit gravius, appendamus: imo „ non appendamus, ſed a Domino appenſa „ recognoſcamus. „

De ſacrae Traditionis ſtudio, ac SS. Patrum neceſſario uſu in Theologia Morali

non

non est ambigendi locus: Patres enim doctrinae sacrae depositum ita custodierunt, ut non solum Fidei, sed & morum Magistri semper in Ecclesia habiti sint. Assidua igitur eorum operum lectio Theologum juvabit, tum ad sacrarum Scripturarum sensum recte interpretandum, tum ad vitae christianae regulas apte, prudenter, ac docte colligendas. Quare *Clemens* Papa XIV. bono Ecclesiae natus, in doctissima Encyclica, qua Jubilaeum sui Pontificatus initio indixit, Ecclesiae Pastores sapientissime monet ,, ut ab illis divinae ,, Sapientiae fontibus, scriptâ scilicet traditâque doctrinâ, quaecunque sive ad credendum, sive ad agendum requiruntur, ,, tantummodo hauriamus. In gemino enim ,, (prosequitur sapientissimus Pontifex) ,, hoc locupletissimo veritatis ac virtutis omnis instrumento continentur quaecunque ad Religionis cultum, ad morum disciplinam, recteque vivendi institutionem pertinent. Hinc Mysteriorum ,, altitudinem, hinc pietatis, honestatis, ,, justitiae, humanitatis officia ediscimus. ,, Quid Deo, quid Ecclesiae, quid Patriae, quid civibus, quid ceteris hominibus debeamus, intelligimus. ,,

Quanti autem hisce in rebus Patrum auctoritas facienda sit, *Grotius* ipse, licet a Communione Romana sejunctus, agnovit & confessus est in *proleg. in tres lib. de J. B. &*

B. & P. ubi sincere fontes patefacit, unde aquam in suos derivavit hortos. Ait enim Vir doctissimus cit. *proleg. num.* 51. „ Secunda post hos „ (nempe synodicos canones & Christianorum primorum usus & mores) „ auctoritas est eorum, qui suis „ quisque temporibus pietatis & doctrinae „ fama inter Christianos floruerunt „ (idest Patres, ut Augustinus, Ambrosius &c.) „ .... Nam & hi quae dicunt magna cum „ asseveratione, & quasi comperta, momentum non exiguum habere debent, ad interpretanda quae obscura videntur in sacris „ Litteris, eoque majus, quo & plurium „ apparet consensus. „

IV.

Sunt vero & alia praesidia, ac monumenta Theologo necessaria, scilicet Ecclesiae Canones. Multa enim S. Mater Ecclesia interpretatur, explicat, determinat, quae ad cultum divinum, ad Religionem, ad mores pertinent: modos praescribit, quibus facilius, suavius, tutius quae Christus instituit, exsequamur. Uno verbo scientia Juris Canonici necessaria est, ut Theologus Christianus sit omni ex parte instructus. Neque negligendum Historiae Ecclesiasticae studium, quo deprehendantur christianae gentis mores & usus pro temporum locorumque diversitate semper stabiles quod ad Fidei

ca-

capita & vitae regulas fuisse: licet exterior disciplina varias passa sit vicissitudines.

Ex hisce fontibus a nobis breviter indicatis suam scientiam haurire debet qui Theologus Moralis appellari cupit. *D. Bonaventura* querebatur de quibusdam sui temporis Sacerdotibus, qui sine sufficienti scientia de re morali ex puris fontibus hausta, animarum regimen assumere audebant. Ait enim S. Doctor in *proleg. sui Confessionalis*: „ Cum secundum B. Gregorium cura „ pastoralis sit ars artium, regimen anima- „ rum, & occultiora sint vulnera cogitatio- „ num quam viscerum; HORRENDUM „ profecto est videre quosdam Sacerdotes „ nostri temporis, qui sacram Scripturam, „ in qua praefati regiminis ARS SUF- „ FICIENTISSIME traditur, & Jura Ca- „ nonica, & scripta Doctorum, in quibus „ PLENISSIME declaratur, vel per tor- „ porem legere negligunt, vel per igno- „ rantiam nesciunt. Et tamen cordis me- „ dicos in audiendis Confessionibus se pro- „ fiteri imprudenter non metuunt. „

V.

Pauci vero sunt, qui tanto & ingenio & otio abundant, quo possint ex tot libris marte suo Theologiam omnem sive dogmaticam sive moralem colligere, & distribuere. Idcirco Scholastici, qui Patribus suc-

successerunt, suis systematibus quidquid dispersum in Scripturis, & Patrum libris, in unum collectum, & per tractatus distributum, presse & nervose disputarunt. De Scholae auctoritate conferendus est hic *Melchior Canus de Loc. Theol. lib.* 8. *c.* 4. In cujus laudem haec scribit *Grotius* in laud. *proleg. num.* 52. „ Qui his „ (idest Patribus) „ successerunt Scholastici, quantum „ ingenio valeant, saepe ostendunt: sed in „ infelicia, & artium bonarum ignara se„ cula inciderunt: quo minus mirum si inter „ multa laudanda, aliqua & condonanda „ fuit. Tamen ubi in re morum „ (idest in moralibus, quae spectant ad mores) „ consentiunt, vix est, ut errent: quippe „ perspicaces admodum ad ea videnda, quae „ in aliorum dictis reprehendi possunt: in „ quo ipso tamen diversa tuendi studio „ laudabile praebent modestiae exemplum, „ rationibus inter se certantes, non qui „ mos nuper adeo litteras inquinare coepit, „ conviciis, turpi fetu impotentis animi. „ At nimia luxuriantium ingeniorum in disputando libertas caussa fuit, ut Theologia scholastica nonnullorum vitio in inanium quaestionum farraginem degeneraret. Quapropter Scholastici plures a primo instituto, quo credenda & agenda junctim tradebantur, desciverunt, omnemque operam collocarunt in prima Theologiae parte, utpote eorum speculationibus magis accom-

commodata, alteram vero ceu pabulum hominis retusi ingenii neglexerunt. Atque ex eo factum est, ut nonnulli Theologi consultum putarunt, hanc Theologiae partem seorsum tradere, & Scholasticorum exemplo systematica connexione ex genuinis principiis integram Theologiam Moralem exhibere.

VI.

Jam vero variarum opinionum confusio perinde excrevit, atque numerus Moralium Theologorum. Multi enim nimiam speculandi licentiam, quam ab illis Scholasticis hauserant, non solum non emendarunt, verum etiam novis erroribus cumularunt. Novam colligendi vitae regulas methodum induxerunt, ab Evangelica simplicitate, & SS. Patrum doctrina prorsus alienam, ut ait *Alexander* VII. Theologi isti, neglectis vel contortis veris christianae Theologiae principiis, genuinae Moralis fundamenta labefactarunt. Per ipsos vitae cynosura *Probabilismus* est: auctoritas sunt Doctores recentiores: ad Scripturam & Patres provocati, quaestiones de quibus agitur, apud eos non reperiri reponunt: fatentur ultro novam eorum esse Theologiam. „ Tota „ Theologia nostra nova est „ (affirmare non erubuit *Caramuel*) „ quaerunt ca„ sus temporum Doctores temporum. Bel-

„ lus

„ lus erit ille Criticus, si ex S. Augu-
„ stini doctrina dissolvere possit emergen-
„ tes nodos circa simoniam, irregularitates
„ &c. omnesque contractus ex Gregorii
„ Nysseni & Nazianzeni placitis compo-
„ nere. „ Mirum itaque non est, si apud cordatos doctosque viros illorum auctoritas nullius sit pretii: imo tantum abest, judice *Mabillonio de studiis Monast. part.2. cap.7.* ut ab hisce Casuistis doctrina Moralis Christianorum recte addiscatur, ut nihil periculosius sit, quam illorum promiscue legere libros; cum & intellectus & voluntas per eos facile corrumpatur, nisi prava distinguantur a bonis. Non dissimilia docet *Dupinius* de Casuistarum auctoritate in *method. stud. theolog. cap.* 4. Jure meritoque eorum placita Rom. Pontificum censuras effugere non potuerunt. *Alexander* namque VII. ann. 1665. & 66. quadraginta quinque Casuistarum propositiones sub excommunicationis poena peculiari Bulla proscripsit: tum & *Innocentius* XI. ann. 1679. sexaginta quinque Moralistarum theses peculiari itidem Bulla damnavit. Dogma de peccato philosophico ab *Alexandro* VIII. Pontifice ann. 1690. peculiari decreto jugulatum fuit.

In damnatas propositiones statim prodierunt commentaria, in quibus passim reviviscunt eadem placita, quae fuerunt Pontificio judicio confossa: variantur in eorum commentariis voces, non vero doctrinae:

de

de quo *Cardenas* accusat ipse *La-Croix* lib. III. *part.* I. *cap.* 2. §. 13. *num.* 295. ideoque laudatus Casuista lectores monet, ut caute legant opera *Cardenas*. Idem advertunt alii de operibus *P. Viva*.

In tanta autem Laxonum multitudine non defuerunt viri docti & cordati, qui a nova philosophandi methodo recedentes, ex genuinis fontibus Moralis disciplinae summas collegerunt; inter quos eminent *Bonus Merbesius*, *Natalis Alexander*, *Jacobus Sambovius*, *Franciscus Genettus*, *Ludovicus Habert*, *Joannes Pontasius*, & *Daniel Concina*, qui multum allaboravit in detegendis, & ob omnium oculos exponendis, acriterque profligandis Casuistarum erroribus.

VII.

Recentiore autem aetate a multis magno studio ac labore excoli coepit jus naturae & gentium, sive illa Moralis philosophiae pars, quae de hominum agit officiis erga alios homines, in primisque gentium erga alias gentes. Horum philosophandi ratio, si *Grotium* excipias, qua, praecisâ revelatione, morum regulas ex solo naturae lumine colliguntur, Pelagianismum fovet, ad Naturalismum inducit, multorumque est caussa errorum: ex quo factum est, ut eorum scripta, etsi eruditionem multam, acu-

acutum ingenium, & judicium prodant, multis tamen scateant erroribus. Hi Doctores ipsorum experimento imbecillitatem humanae mentis comprobant in enucleandis juris naturae principiis. In hunc modum haud philosophati sunt Ecclesiae Patres, qui ob naturae imbecillitatem ac corruptionem undique adstruunt revelationis necessitatem. *Augustinus lib.* II. *de Peccat. Merit. & Remiss. cap.* 5. ita ratiocinatur: „ Sicut corporis oculus non adjuvatur luce, „ ut ab eadem luce clausus aversusque discedat; ut autem videat, adjuvatur ab „ ea; neque hoc omnino, nisi illa adjuverit, potest: ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostrae mentis „ obtutum. „

Augustino adjungimus *D. Thomam*, qui *lib.* IV. *Contr. gen. cap.* 3. solide ostendit, quid valeat intellectus humanus ob naturae corruptionem; inquit enim: „ Patitur autem communiter humanum „ genus diversas poenas & corporales, & „ spirituales . . . . Inter spirituales autem „ est potissima debilitas rationis, ex qua „ contingit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus bestiales „ omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis „.

Aberrant ergo qui universam juris naturae scientiam solo rectae rationis ductu osten-

oſtendere gloriantur. Ultro fatemur, multa occurrere in eorum ſcriptis laudanda, praeſertim in gentium integrarum, ſummorumque imperantium controverſiis. Verum eorum libri caute ſunt legendi, ne novitate illecti, in eorum errores incidamus. Quamobrem talem animum ad eorum libros legendos appellamus, cujuſmodi animo comparatos eſſe ſuos Auditores jubebat olim Origenes, cum ipſi veteres Philoſophos pervolutarent. Eos enim hortabatur, ut quaecunque ſcitu digna ex eorum libris expiſcarentur, quae Scripturae oraculis conſentanea erant, ea quidem diligenter memoriae mandarent: cetera vero prorſus rejicerent. Id teſtatur ejus diſcipulus *S. Gregorius Neocaeſarienſis in Orat. Panegyr. ad Orig. Tom. 3. Biblioth. PP.* „ Nobis „ ergo ne id ipſum, quod imperitae mul- „ titudini, eveniret, ad unicum nos phi- „ loſophicarum opinionum genus non ad- „ movebat, nec in eo conſiſtere ſinebat, „ ſed per omnia ducebat, nullius nos Grae- „ canici dogmatis rudes aut ignaros eſſe „ permittens. Ipſe autem ſimul incedens „ praeibat, manuque ducens tanquam in „ via.... Ita quidquid apud ſingulos Phi- „ loſophos utile, ac verum erat, deligens, „ nobiſque apponens, quae hominum pro- „ pria ſunt ad pietatem: & horum quidem „ ut nihil attenderemus, ſuadens, ne ſic- „ ut ſapientiſſimus quidem quiſpiam ab

„ omni-

„ omnibus celebraretur; sed ut uni Deo operam daremus, ejusque Prophetis. „

VIII.

Haec autem, quae hactenus cursim dicendo delibavimus, nativos fontes, unde morum scientiam haurire licet, satis aperire videntur. Quamobrem Moralis Theologiae disciplina, quam prosequi debemus, antiquitatem praeseferat, non vero novitatem, quae Laxonibus duntaxat arridet. Philosophia enim, ut quae in abstrusis naturae arcanis rimandis tota occupatur, eo facilius res abditas ad lucem evocat, & veritatem assequitur, quo diutius in contemplatione defixa rerum naturam exquirit, caussasque investigat. Hinc adhibita experimenta, rursus institutae diligentiori cura observationes non modicam lucem affundunt iis, quae antea tenebris involuta delitescebant. At contra Theologia, quippe quae humanae investigationis opus non est, quo propius retroactas aetates, & antiquitatem attingit, hoc magis ad veritatem accedit. Ita enim beatos fontes adire datur, e quibus christiana doctrina deducta universam Ecclesiam irrigavit.

In eo igitur cogitationum cura collocanda nobis est, ut sacras Litteras, in quibus vitam aeternam contineri novimus, studiose scrutemur: tum etiam SS. Patrum,

sa-

ſacrorumque Canonum lectioni diligenter vacemus. Recentiores vero Theologi negligendi nobis non erunt: ii tamen, quos docte, ac prudenter, nulloque partium ſtudio abreptos de rebus divinis diſſeruiſſe deprehendimus.

Atque haec omnia in hiſce Inſtitutionibus praeſtitiſſe fatemur; quippe ſingula ad ſacrae Scripturae oracula, & Patrum, Canonumque ſcita veluti ad certam normam exigere ſategimus. Neque abs re eſſe duximus (quod quidem perquam utile eſſe omnes norunt) ut quando ſeſe locus offerret, patrias leges noſtras, & conſuetudines adjiceremus. Eas autem, qualeſcunque ſint, tironibus legendas exhibemus, quorum utilitati, & commodis unice proſpicere in animo habuimus. Quemadmodum enim pueris aliena manu cibus porrigitur, donec ipſi alimenta ſibi quaeſierint, cum adoleverint: ita quae longo ſtudio Moralis diſciplinae principia ex genuinis fontibus hauſimus, Eccleſiaſticis Adoleſcentibus clare breviterque expoſita hîc praebemus, ut ad morum doctrinam optime informentur. Quibus & illud non tenue commodum accedit, quod harum Inſtitutionum editione moleſto illo labore liberentur Adoleſcentes, quo dictata excipere, eaque manu propria velociter exarare cogebantur.

IX.

Ita autem opus omne partiemur; primum de Conſcientia, Legibus, ac Peccatis diſſeremus: quibus adnectitur Tractatus de Fide, Spe, & Caritate, tum de vitiis, quae hiſce virtutibus adverſantur. Quod primo Tomo abſolvitur. Deinde Virtutes Cardinales proſequemur: & paucis de Juſtitia in genere delibatis, (ſingillatim enim agetur alibi) multa de iis virtutibus, quae ex Juſtitia oriuntur, & potiſſimum de Religione dicemus. Atque haec excipiet Tractatus de Eccleſiaſticis Cenſuris. Quae quidem complectetur Tomus alter. Diſputabitur praeterea in tertio Tomo de Juſtitia ac Jure; tum de Reſtitutione, & Contractibus. Quartus tandem Tomus Eccleſiae Sacramenta tum generatim, tum ſingillatim proſequetur.

TRA-

TRACTATUS

DE CONSCIENTIA, ET DE LEGIBUS.

MORALIUM operationum regula duplex est, Lex scilicet, & Conscientia. Illa dicitur regula extrinseca & objectiva; haec intrinseca, proxima, & formalis. De utrâque heic verba facere statuimus, sed initia tractationis hujus a Conscientiae explanatione sumenda sunt, quae Moralis Theologiae basis est, & fundamentum.

PARS PRIMA.

De Conſcientia.

ETſi nihil Conſcientiâ notius atque compertius, nihil tamen e contrario obſcurius, profundius nihil, propter turbulentos animi motus, quibus conſcientia obnubilatur atque obtenebratur. Unde modo bonum malum, & malum bonum; modo viam rectam ut curvam, & curvam ut planam nobis depraedicat. Ne ergo pravarum cupiditatum exquiſita verſutia nos decipiat, accipientes noſtrarum actionum normam falſam pro recta, Conſcientiae noſtrae naturam, ejuſque varias ſpecies explicare noſtra vel maxime intereſt.

CAP. I.

De Conſcientia in communi.

COnſcientia generatim definiri poteſt: *Dictamen rationis de juſtitia, injuſtitiaque actionum noſtrarum.* Clarius: Conſcientia eſt argumentatio practica de actionibus noſtris ad legem Dei relatis, ut earum ju-

juſtitiam injuſtitiamque colligat. Hujus autem practicae argumentationis duae primae propoſitiones conſtant ex *lege*, & *facto* inter ſe comparata, ex iiſque evincitur tertia propoſitio, nempe concluſio, quae proprie *Conſcientia* appellatur, ideoque a *S. Antonino* dicta eſt *concludens ſcientia*. Eſto exemplum: conſcientia imperat furtum hìc & nunc devitandum; ratiocinatio practica ita inſtituitur. Lex prohibet furtum. Sed haec actio eſt furtiva. Ergo devitanda. Ubi vides majorem propoſitionem praemitti a lege, minorem reſumi a facto, ſive ab operatione noſtra: tandem a conſcientia inferri actionem hìc & nunc juxta praemiſſas propoſitiones amplectendam, vel devitandam.

Hinc colliges I. diſcrimen inter ſyntereſin, & conſcientiam.

Syntereſis eſt notitia primorum principiorum moralium: qualia ſunt, bonum amplectendum, fugiendum malum; quod tibi non vis, alteri ne feceris, & id genus ſimilia. *Conſcientia* vero *eſt judicium applicans principium morale alicui actioni particulari;* ideoque dicitur *judicium practicum*, *ultimo practicum*, quod imperat immediate operis exſecutionem.

Colliges II. Conſcientiam eſſe actionum humanarum *regulam* ſive *normam*. Nam licet hujus practicae argumentationis major propoſitio principium morale, ſeu le-

legem contineat; conclusio vero, seu conscientia legem applicat in particulari. Quare illa dicitur regula actionum nostrarum generalis & remota, haec immediata & proxima.

Colliges III. Conscientiam diversos sortiri respectus, modo libri & regulae, modo testis & judicis, prout in conscientia aut notitia moralium principiorum, aut facti scientia spectatur. Nam majorem si spectes propositionem, legem continentem, conscientia habet rationem *regulae*; si minorem aut notitiam facti, *libri* merito ac *testis* nomine venit. Quod si conclusionis, & hinc porro effectus rationem habeas, dum aut absolvitur suomet judicio homo, aut damnatur, sub *judicis* ac *tortoris* schemate sistitur. Ad rem eleganter *Gregorius Nazianzenus Orat.* XV. conscientiam vocat *verum, & domesticum tribunal*.

Colliges IV. divisionem conscientiae in *antecedentem*, quando ratiocinamur de facto futuro; vel in *consequentem*, quando ratiocinamur de facto praeterito.

Colliges V. Conscientiam errori obnoxiam esse. Nam sicut argumentatio potest peccare vel in *materia*, vel in *forma*; ita & conscientia potest errare, aut bona principia male applicando, aut ad legem non satis attendendo. *D. Thomas Quodlib.* 8. *q.* 6. *art.* 3.

Hinc Conscientiae divisio in *veram* seu

ſeu *rectam*, quae ex principio practico vero, & *falſam* ſeu *erroneam*, quae ex falſo ſive erroneo principio deducitur.

Inſuper argumentum eſt modo certum, ſi ex certo aliquo principio, modo probabile, ſi ex hypotheſi probabili deducatur; ideo tribuimus conſcientiam in *certam*, & *probabilem*: certa, quae judicat ſecundum principia certa, quae omnem excludunt formidinem: probabilis, ſi judicat ſecundum principia probabilia. Si anceps haeret inter rationes utrinque aequales, dicitur *dubia*: ſi ex levibus conjecturis exſiſtat, vocatur *ſcrupuloſa*. Tandem ſi ſententiam fert ſecundum opinionem laxam, *laxa* appellatur. De his agemus ſigillatim in ſequentibus.

Nota. Quae hactenus de definitione Conſcientiae dicta ſunt, incidunt cum his definitionibus, quae vulgo a Scholaſticis traduntur, ut eſt ſequens definitio. *Conſcientia eſt actus intellectus practici dictantis aliquid hic & nunc eſſe licitum vel illicitum.*

CAP. II.

De Conſcientia Recta, & Erronea.

Nota. Conſcientia Recta eſt dictamen rationis, quo judicatur verum, ideſt eſſe licitum quod licitum; & eſſe illicitum quod illicitum.

Erronea Conſcientia eſt dictamen rationis, quo judicatur falſum, ideſt eſſe illicitum quod eſt licitum, & eſſe licitum quod illicitum eſt: haec duobus modis poteſt eſſe erronea, invincibiliter, aut vincibiliter.

Conſcientia *invincibiliter* erronea ea eſt, cujus error, omni adhibitâ diligentiâ, ſuperari nequit.

Conſcientia *vincibiliter* erronea ea eſt, cujus error, diligentiâ neceſſariâ adhibitâ, ſuperari poteſt.

Cum igitur Conſcientia ſit regula proxima humanorum actuum, quaeritur 1. an peccet qui non ſequitur conſcientiam rectam. 2. An peccet qui conſcientiam erroneam ſequitur. 3. Quale ſit ejus peccatum. 4. Quid obſervandum cum eo, qui erronea conſcientia laborat.

Prop.I.

Prop. I.

Peccat qui Conſcientiae Rectae refragatur, aliquid boni ſub praecepto imperanti, vel aliquid mali prohibenti.

Prob. Peccat qui agit adverſus legem aeternam. Ergo itidem peccat qui agit contra conſcientiam rectam. Conſcientia enim recta jubet vel vetat, cum ſit ejuſdem legis aeternae intimatio ſeu promulgatio. Ergo ſi peccat qui adverſatur legi aeternae, peccat pariter qui conſcientiae rectae refragatur.

Dixi, *ſub praecepto imperanti:* nam conſcientia altera eſt praecipiens, altera conſulens.

Praecipiens eſt ea, quae dictat hominem peccaturum, ſi talem actum hîc & nunc non ponat, vel omittat.

Conſcientia *conſulens* eſt illa, quae dictat hunc actum hîc & nunc licite poni poſſe, illum omitti. Conſilium enim ea quae ſunt perfectionis, ſpectat; minime vero, quae neceſſitatem imponunt. Hinc licet non ſervare virginitatem nubendo, non ſervare paupertatem, ut eam ſervant Religioſi.

Prop. II.

Non peccat, qui agit ex conſcientia invincibiliter errante, imo peccat qui agit contra ipſam.

Prob. 1. pars. Nullum peccatum ſine libertate. Atqui in hoc genere conſcien-

tiae non reperitur libertas, cum ignorantia invincibilis tollat omne voluntarium circa malum. Ergo nec etiam habetur peccatum.

Nota. Licet opus malum beneficio conscientiae invincibiliter errantis non imputetur ad culpam; non tamen evadit opus formaliter bonum & meritorium, sed potest intentio operantis opus materialiter malum, esse bona & meritoria. Hinc si quis proferat mendacium, quod invincibiliter putat esse honestum & licitum ad sublevandam proximi miseriam: mendacium hoc est materialiter malum, nec imputatur ad culpam, caret tamen formali bonitate & merito; quia Deus nec mendacium approbat, nec praemium confert mentientibus. Actus vero operantis, intentio scilicet sublevandi proximi miseriam est bona ac meritoria. Ita *Contensonius Dissert. de Probabilismo*, *Genettus de Conscientia errante*. Sed praecipue conferendus est hîc *Joannes Mabillonius Enarrat. in S. Bernardum lib. de praecepto, & dispensatione cap.* 14.

Prob. 2. pars ex illo *Apost. ad Rom. cap.* XIV. v. 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* hoc est, ut interpretantur Patres, & patet ex contextu, qui non operatur *ex fide*, id est ex judicio conscientiae, seu ex persuasione quod licite agat, peccat. Atqui agens contra conscientiam errantem, non agit ex persuasio-

sione, quod actio sit licita. Ergo peccat.

Insuper qui ponit actionem in se bonam, putans esse malam, interpretative aeque vult malitiam, ac si sit in se mala, cum nolit abstinere ab actione, licet sibi proponatur ut mala. Atqui agens contra conscientiam erroneam, operatur ex persuasione, quod actio sit mala. Ergo interpretative aeque vult malitiam actionis, ac si sit in se mala. Ergo peccat.

Nota, agentem contra conscientiam errantem peccare contra legem divinam, & naturalem, quae prohibet omnem consensum & affectum ad id, quod putatur malum etiam ex errore.

Prop. III.

Qui habet Conscientiam vincibiliter Errantem, peccat, sive contra eam agat, sive non.

Prob. 1. pars, quae eruitur ex dictis. Qui enim operatur contra conscientiam etiam vincibiliter erroneam, operatur contra dictamen rationis, seu contra persuasionem, quod actio hîc & nunc sit sibi illicita. Ergo peccat.

Prob. 2. pars, eum nempe non excusari, qui agit ex conscientia vincibiliter errante. Quia error, cum sit vincibilis, est voluntarius saltem indirecte, & in caussa. Ergo debet deponi, ut excusetur a peccato.

Prop. IV.

Peccatum, quod contra Conscientiam

Erroneam admittitur, absolute loquendo habet eam speciem & gravitatem, quam quis ex errore judicat inesse actioni, vel omissioni suae.

Prob. Voluntas fertur in malum, prout concipitur. Atqui in actionibus ex conscientia errante perpetratis peccatum est volitum, prout ex errore concipitur. Ergo peccatum erit ejusdem speciei & gravitatis, quae actioni vel omissioni inesse judicatur.

Hinc qui existimat spuere in Ecclesia, esse mortale contra Religionem; peccatum erit grave contra Religionem: Veniale vero, si existimet esse veniale.

Si aliquis fornicetur cum muliere, quam falso existimat esse voto castitatis sacratam, sacrilegium perpetrat; tametsi voto illa careat.

Dixi, *absolute loquendo*. Nam si conscientia erronea vincibilis edicit esse veniale quod est mortale, culpa mortalis erit; eo quod ignorantia, utpote voluntaria, non excusat. Hinc graviter peccat Scholasticus, qui grandem summam parentibus furetur, etsi existimet se leviter solum peccare; quia is eam conscientiam facile deponere potuit. Secus, si conscientia sit invincibilis; tunc agere contra illam, erit culpa venialis. Quia haec ignorantia inculpata est, nec plus malitiae contrahit qui adversus eam agit, quam quae ab eadem proposita fuerit. Quod

Quod si conscientia dictet in genere aliquid esse malum, quin definiat esse mortale, aut veniale, juxta multos graviter peccat qui contra hanc conscientiam operatur. Ratio obvia est, quia deliberato animo se se exponit periculo peccandi mortaliter.

Notandum tamen eum, qui operatur contra conscientiam erroneam, aeque formaliter peccare, ac alterum, qui operatur contra conscientiam veram; non tamen incurrere easdem poenas humanas. Quia Legislatores humani non solent poenas imponere, nisi transgressoribus verae legis, non putatitiae.

Hinc qui falso putat alicui actui adnexam esse excommunicationem, illumque ponit, excommunicationem propterea non incurrit. Similiter qui celebrat, falso putans se excommunicatione esse irretitum, non incurrit irregularitatem; licet aeque peccet, ac si in excommunicatione celebraret. Item qui percutit laicum, putans esse clericum, non incurrit excommunicationem.

Q. I. *Quomodo deponenda sit Conscientia Erronea?*

R. Prudenter, & non temere deponendam esse. Temere vero & imprudenter conscientiam deponit qui ad ejus dictamen non advertit, sed alio convertit animum, vel mediis improportionatis utitur. Tunc enim

non deponitur conſcientia, ſed ex levitate contemnitur.

Conſcientia erronea prudenter deponitur, quando media ad hunc finem idonea aſſumuntur; puta ſtudium, conſilium, preces, opera pia, quibus a Deo obtineatur lumen neceſſarium ad inveniendam veritatem: adhibendo majorem vel minorem diligentiam pro majore, vel minore negotii magnitudine, & gravitate.

Q. II. *An Confeſſarius teneatur monere poenitentem Conſcientiâ Erroneâ vinciblliter laborantem?*

R. Affir. Ratio eſt, quia Confeſſarius ratione ſui officii, nempe doctoris, cujus perſonam ſuſtinet, tenetur docere poenitentem quod vincibiliter & culpabiliter ignorat.

Quod verum eſt, etiamſi Confeſſarius praevideat monitionem ſuam poenitenti non eſſe profuturam. Quia cum error ſit vincibilis & culpabilis, poenitens eſt indiſpoſitus, ſi nolit ſuſcipere veritatem, quam culpabiliter ignorat: non enim vult a ſe diſpellere ignorantiam, quae eſt peccatum, & cauſſa peccati.

Hinc edocendi ſunt poenitentes, 1. quando poenitens de ſuo errore dubitat, vel Confeſſarium interrogat. Quia eo ipſo quod poenitens interrogat, ejus interrogatio non eſt ſine aliqua dubitatione, ac proinde ejus ignorantia evadit vincibilis:

cum

cum vincibilis ignorantia dicatur illa, in qua menti occurrit principium dubitandi, & modus veritatis assequendae.

2. Quando ignorantia versatur circa principia juris naturalis, non primaria solum, quae invincibiliter ignorare non possunt, sed secundaria. 1. Quia haec non tam invincibiliter ignoratur. 2. Quia eorum ignorantia facile evadit vincibilis ob malitiae suspicionem, quam actio de se mala & inhonesta ingerere solet. Hinc admonendi sunt adolescentes, qui quasdam carnis spurcitias ex ignorantia exercent; quia non omnes de his flagitiis invincibilem admittunt ignorantiam, nec, si detur, diu perdurat. Item non tam facile relinquendi sunt in bona fide poenitentes, quos Confessarius advertit contractus injustos exercuisse, magnam pecuniae summam usuris cumulasse.

Q. III. *Utrum Confessarius teneatur monere poenitentem, qui conscientiâ invincibiliter erroneâ laborat?*

R. Affir. *regulariter loquendo*. Et 1. quidem debet illum monere, si ejus ignorantia, quae putatur invincibilis, vergat in damnum publicum; etiamsi inde timeatur malum poenitentis. Ratio est, quia damnum privatum permitti debet, ut evitetur publicum. Hinc invalide ordinatus moneri debet ob sacramenta, quae invalide conferret.

2. Si

2. Si error sit de necessariis ad salutem necessitate medii. E. G. Si quis per errorem judicet solam confessionem sine dolore sufficere ad obtinendam remissionem peccatorum. Ratio est, quia sine horum observatione poenitens non potest salvari.

3. Si spes emendationis affulgeat. Quia Confessarius, utpote ex officio poenitentis doctor, tenetur eidem disposito ac parato veritatem pandere.

Quid si non affulgeat spes emendationis? Etiam Confessarius debet poenitentem monere, quoties in potestate poenitentis sit abstinere a peccato: aliter poenitens praesumeretur indispositus; quia praesumeretur virtualiter & interpretative nolle scire totam legem.

Dixi, *regulariter loquendo*. Nam Confessarius non de[illegible] eum monere, si manifestatio veritatis praevideatur nocitura potius, quam profutura non ex dispositione poenitentis, sed ob scandala, quae ex ea manifestatione sequerentur; quaeque poenitens tollere non potest, ut accidere solet in manifestatione impedimenti Matrimonii, de quo in *Tractatu de Matrimonio*.

AP-

APPENDIX

De Conscientia Perplexa.

Conscientia Perplexa est dictamen rationis, quo utrumque contradictionis extremum peccatum esse judicatur: sive judicium practicum judicans hîc & nunc peccatum esse, sive actio fiat, sive omittatur. E. G. Si aliquis existimet peccare, sive mentiatur ad salvandam vitam proximi, sive non mentiatur. Datâ hac definitione de Conscientia Perplexa,

Queritur, quid agere debeat homo in hac perplexitate constitutus: pro cujus solutione

Assero I. *Si quis ex errore vincibili utrumque contradictionis extremum peccatum esse judicet, regulariter loquendo peccat, sive eam sequatur, sive eidem resistat, sed debet eam deponere.*

Ratio patet ex dictis. Quia sic operans potest ab errore recedere, cum ignorantia sit vincibilis & voluntaria, adeoque culpabilis.

Dixi, *regulariter loquendo*. Nam si quis per temporis angustias, urgente hîc & nunc praecepti necessitate, non possit rem examinare; & conscientiam erroneam deponere, non peccabit, si elicito actu contritionis de priori ignorantiae peccato, e-

ligat

ligat partem, in qua minus mali inesse appareat. Quia error ex vincibili fit invincibilis, cum & actu excuti nequeat, & caussa ejus retractata fuerit, & quantum hîc & nunc fieri potest, a peccato recedatur.

Assero II. *Si conscientia erronea sit invincibilis, & judicet utramque contradictionis partem peccatum esse, sic operans non peccat alterutrum eligendo.*

Ratio patet etiam ex dictis. Quia cum ignorantia sit invincibilis, operans ex tali errore, caret libertate ad peccandum imputabiliter. Nam licet homo sub tali ignorantia agnoscat objectum ut malum, quia non cognoscit ut vitabile, proinde non peccat; quia caret libertate morali necessaria ad peccandum.

Hinc pastor, qui judicat se peccare, si deserat gregem, ut audiat sacrum die festo: & simul judicat se peccare si sacrum omittat, ut custodiat gregem; non peccat alterutram partem exsequendo; quia moraliter non libere agit. Ita multi.

Similiter non peccat qui carcere inclusus existimat se peccare mortaliter, nisi sacrum audiat; quia haec omissio non est ei libera ac voluntaria.

CAP.

CAP. III.

De Conscientia Dubia.

Nota I. Quamvis Conscientia Dubia non sit proprie conscientia, cum dubium non sit dictamen seu judicium practicum, sed suspensio judicii circa bonitatem vel malitiam actus: dicitur tamen Conscientia Dubia objective, quatenus circa ipsam rem dubiam habet homo varia judicia practica in utramque partem, quae sententiam super eadem suspendunt. Brevius:

Conscientia Dubia est dictamen rationis, quo suspenditur judicium, num aliquid sit bonum, vel malum.

Nota II. *Dubium est suspensio assensus, & dissensus inter utramque partem ob motiva pro utraque parte aequalia.*

Dixi, *ob motiva*. Nam dubium, quod vocant *negativum*, consistens in suspensione mentis ob carentiam motivorum pro utraque parte, non est proprie dubium, sed nescientia & ignorantia. E.G. Interroganti, num astra sint paria vel imparia, legitime respondet aliquis, *dubito*: sed melius, *id ignoro*.

Hic nota obiter discrimen, quod inter-

tercedit inter *dubium*, *suspicionem*, & *opinionem*.

In *dubio* mens anceps haeret. In *suspicione* intellectus in unam partem magis inclinat, quam in alteram, absque tamen assensu. In *opinione* intellectus uni parti contradictionis assentitur, cum formidine alterius.

Nota III. Dubium dividitur in dubium *juris*, & *facti*. Dubium juris est, dum quis dubitat de lege seu obligatione. Puta cum quis dubitat, an exstet lex, quae imperet vel vetet talem actionem, vel an ea lex legitima & obligatoria sit: ut cum quis dubitat, an ex lege Ecclesiae, vel voti teneatur ad jejunandum tali die; an Superior talem conscientiae casum reservare potuerit.

Dubium facti tunc est, quando quis certus de lege, ambigit de facto, quod legem respicit. Puta cum dubitat, an officium divinum persolverit; num tali tentationi consensum praebuerit; an haec persona, quam vult ducere in matrimonium, sit consanguinea, nec ne.

Advertunt Theologi, ex Dubio facti saepe oriri dubium juris. Puta dubitat quis, an emiserit tale votum: en dubium facti. Praeterea dubitat, an teneatur ad votum in tali dubio: en dubium juris.

Nota IV. Dubium rursus dividitur in *speculativum*, & *practicum*. Dubium specu-

culativum vocatur illud, quo dubitatur in genere, & praeſcindendo ab exſecutione, an aliquid ſit licitum vel illicitum. Puta utrum licitum ſit pingere die feſto.

Dubium practicum operis exſecutionem ſpectat. Puta an mihi liceat hoc die feſto pingere. His poſitis

Quaeritur 1. An liceat agere cum conſcientia practice dubia. 2. Si vero non liceat, quaeritur, quomodo ſit deponenda.

Prop. I.

Peccat qui operatur cum conſcientia practice dubia de malitia actus, vel ejus omiſſionis.

Prob. I. ex *Apoſt. Quod non eſt ex fide*, hoc eſt, ex perſuaſione quod ſit licitum, *peccatum eſt*. Sed qui operatur cum conſcientia practice dubia, non agit ex perſuaſione quod actio vel omiſſio, de cujus malitia hic & nunc dubitat, ſit licita. Ergo peccat.

Prob. II. Peccat non ſolum qui expreſſe, verum etiam qui interpretative vult malitiam peccati. Sed qui agit cum dubio practico, ſaltem interpretative vult malitiam peccati. Ergo peccat. Voluntas enim in dubio ita opus aggreditur, ut parata ſit illud exſequi, ſive ſit, ſive non ſit contra legem Dei: quae voluntas ſuapte naturâ mala eſt, atque divinae Majeſtati injurioſa.

Prob. III. Qui ſe exponit proximo pe-

periculo peccandi, peccat juxta illud *Ecclesiastici cap.* III. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Sed qui dubitando operatur, proximo periculo se exponit peccandi, cum aeque probabile sit, id quod agit, esse peccatum, ac non peccatum. Ergo peccat & quidem in ea specie & gravitate, cujus est peccatum, de quo dubitatur, quamvis id secundum se sit licitum.

Haec est doctrina certa ne dum penes omnes Theologos Catholicos, sed Ethnicos ipsos: sic enim ajebat *Tullius lib.* 1. *de Off. Bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, aequum sit, an iniquum.*

Prop. II.

Conscientia practice dubia non recte deponitur, quando motiva pro utraque parte sunt aeque probabilia, nisi partem tutiorem eligendo.

Prob. I. Ad recte ac prudenter operandum, periculum morale peccandi praecaveri debet, dicente Scriptura: *Qui amat periculum, in illo peribit*. Atqui in aequali probabilitate peccandi periculum non praecavetur, nisi eligatur pars tutior. Ergo conscientia practice dubia non recte deponitur, nisi partem tutiorem eligendo.

Prob. Minor. In aequali probabilitate habetur verum dubium seu suspensio judicii, cum intellectus misere fluctuet inter duas contradictionis partes ob motivorum

rum aequalitatem, quae movent ad utramque partem, ut docet *D. Thom. q.* 14. *de veritate art.* 1. Nec est ulla potior ratio judicandi unam opinionem esse veram, quam alteram, cum neutra plus minusque appareat vera aut vero similis, quam altera. Ergo intellectus necessario suspendit judicium. Atqui in dubio non est alia via praecavendi periculum peccandi, quam eligendo partem tutiorem. Ergo &c.

Prob. II. Rom. Pontifices usi sunt, tanquam decisionum principio naturali lumine noto, hâc regulâ pluries in Jure Canonico repetita: *In dubiis tutior pars est eligenda*. Sed qui versatur in aequali probabilitate, versatur in vero & proprie dicto dubio. Ergo aut eliget partem tutiorem removentem a peccato, aut peccatum non effugiet eligendo partem dubiam, non vero tutam.

Nota, hanc de amplectenda tutiore parte regulam procedere, ubicunque timeatur, ne quis peccandi periculo se exponat; ac proinde locum habere in dubio tum juris, tum facti.

Prob. III. Haec doctrina communis est penes omnes Patres, quorum testem adducimus *Augustinum*, qui lib. 1. *de Baptismo cap.* 4. ait: quod *graviter peccaret in rebus ad salutem animae pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta proponeret.* & *cap.* 6. eod. lib. docet, *efficere id quod in-*

incertum eſt, an ſit peccatum, certum peccatum eſſe. Ex quibus verbis poteſt efformari hoc argumentum. Ex *Auguſtino* certum peccatum committit qui poſitus inter duas contradictionis partes, non eligit certam de honeſtate actionis, ſed dubiam de malitia actus. Sed qui in aequali probabilitate non eligit tutam, non eligit certam de honeſtate actionis, ſed dubiam de malitia actus. Ergo certo peccat.

Prop. III.

In probabilitate inaequali regulariter loquendo eligenda eſt pars, quae videtur probabilior vel tutior.

Prob. 1. Pars. I. Ad praecavendum morale periculum errandi in concurſu duarum opinionum ſatis eſt, ſi eligatur pars, quae videtur veritati magis conſentanea, ajente Scriptura *Eccleſiaſtici* VI. *Noli eſſe multum juſtus, neque plus ſapias, quam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas*. Id eſt, ut explicant Interpretes, ne in continuo inevitabilium timorum concurſu certitudinem ſemper quaeritans in ſtupiditatem mentis incidas. Sed qui in probabilitate inaequali eligit partem quae videtur probabilior, eligit partem quae magis conſona rationi, ac veritati conformior apparet. Ergo &c.

Minor prob. Magis rationi conſentanea dicitur opinio illa, quae ex motivis multo gravioribus, & graviter praeponderantibus veroſimilior oppoſita apparet.

At

Atqui talis ſe habet opinio probabilior relate ad oppoſitam probabilem, licet tutam, quae minus veroſimilis apparet ob motiva judicandi in oppoſitum, quae comparata ad graviora, levia apparent, ac proinde prae illis contemnenda. Ergo &c.

Hinc Regula 3. in 6. *Eum qui certus eſt, certiorari non debet:* Ideſt ad formandum judicium prudens non requiritur omnimoda certitudo, quae omnem formidinem excludat. Impoſſibile enim eſt habere dictamina metaphyſice vel phyſice certa de omnibus agibilibus; ſufficit ad praecavendum proximum peccandi periculum, ut nunquam operemur, ſine firma & prudenti perſuaſione, quod operatio hîc & nunc ſit licita.

Prob. II. Ex damnata propoſitione ab *Alexandro* VIII. quae ſic ſe habet: *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Atqui ſi in probabilitate inaequali requireretur omnimoda certitudo quae omnem formidinem excluderet, ut volunt rigidioris ſententiae Patroni, ſequeretur non licere ſequi opinionem quantumvis probabilem, cum tutior non ſit. Opinio enim probabilis, ut ſic, neceſſario habet adnexam aliquam falſitatis formidinem. Ergo &c.

Inſuper obvius damnatae propoſitionis ſenſus eſt, non licere ſequi opinionem minus tutam, tametſi probabiliſſimam:

mam: quod clare evincitur ex eo, quod *Lovanienses* Theologi eam Thesin, ex eo potissimum propugnabant, quod sententia licet probabilissima falsitati esset obnoxia. Sed perperam; non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, ait *S. Antoninus p. 3. Tit. 3.* §. 10. sub fine, *sed ex probabilibus conjecturis grossis & figurabilibus magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus*. Sufficit ergo ad praecavendum proximum periculum errandi in agibilibus certitudo moralis, quae licet admittat formidinem, haec formido tamen levis est, & prudenter contemtibilis. Unde agens positus in probabilitate inaequali, potest eligere partem probabiliorem, licet minus tutam.

Prob. 2. Pars. In probabilitate inaequali agens licet possit sequi partem probabiliorem, sed minus tutam; valet tamen eligere minus probabilem, sed tutam. Ratio, quia periculum errandi magis praecavetur, si eligatur pars magis removens a peccato: pro cujus intelligentia

Nota: Idem non est, unam partem esse tutiorem, & esse probabiliorem. Nam pars tutior dicitur quae magis removet a periculo etiam materialis peccati: unde pars tutior stat pro lege. Pars probabilior ea est, quae spectatis rationum pondere, & gravitate auctoritatis, verosimilior apparet. Puta opinatur aliquis possidentem be-

beneficium exigui reditus teneri ad horas canonicas, alii communius opinantur oppositum. Opinio affirmans tutior est, quod ad evitandum peccatum; est tamen minus probabilis, quia minus est fundata. E contrario opinio negans est probabilior, quia magis est fundata; sed minus tuta, quia minus removet a peccato.

Dixi, *regulariter loquendo*. Nam tenemur sequi partem tutiorem in iis omnibus, in quibus, non obstante probabilitate majore, & ignorantia invincibili, finis obtineri non potest, nisi res ipsa praescripta ponatur. Ut cum agitur de rebus necessariis necessitate medii ad salutem, de valore sacramentorum. Nam bona fides, & major probabilitas nihil confert ad valorem sacramenti, & ad obtinendum finem, nisi ponantur ea, quae ex divina institutione ad finem obtinendum sunt necessaria.

Ex dictis resolvitur I. qui operatur cum conscientiâ practice dubiâ, 1. peccat. Ratio patet ex dictis in I. Prop. 2. Peccat, etiamsi speculative non dubitet, sed practice cum dubio operatur. Finge: certus sum absolute licitum esse die festo docere; dubito tamen, an hîc & nunc mihi liceat, pecco docendo. 3. Peccatum illius, qui operatur cum conscientia practice dubia, est ejusdem rationis ac speciei, cujus est peccatum, de quo dubitat. Ratio est, quia habet affectum ad peccatum

ejusdem rationis. Hinc 4. si dubites, sit peccatum necne (sive mortale, sive veniale), ita ut malitia in confuso proponatur, juxta multos mortaliter peccas. Quia deliberate te committis periculo peccandi mortaliter.

II. Conscientia practice dubia est deponenda, & quidem non per solum affectum & voluntatem, sed per motivum rationabile. Cujusmodi est 1. ratio fundata. 2. Praxis proborum hominum ita operantium sine scrupulo. 3. Auctoritas alicujus viri docti ac probi. Alioquin operans adhuc se exponeret periculo peccandi, cum voluntas sit potentia caeca, quae dirigi debet per prudentiam intellectus.

Hinc quisque tenetur in dubio ad investigandam veritatem adhibere diligentiam pro negotii magnitudine, et loci ac personae qualitate, & conditione; rationes pro utraque parte diligenter expendere; sincere exquirere veritatem, ad praxim timoratorum attendere, viros doctos ac pios consulere, divinum petere auxilium. Nam eodem praecepto, quo quis tenetur prudenter agere, & vitare peccatum, tenetur etiam veritatem diligenter investigare, ne imprudenter agat, seque periculo peccandi exponat.

Contra, animi sinceritatem, & studium assequendae veritatis non habent qui undique opiniones sibi faventes venantur, tot do-

doctores consulunt, donec quempiam inveniant, qui pruriat auribus, qui humanis cupiditatibus indulgeat, & secundum eas decernat: juxta illud *Apostoli ad Tim.* II. *cap.* 4. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

Quod si post factam diligentiam, nullum grave motivum occurrat dubium deponendi, tenemur sequi partem tutiorem, vel magis rationi consentaneam juxta dicta in Prop. II. & III. Hinc qui prudenter dubitat, an votum emiserit, manente dubio, tenetur ad votum, quae est pars tutior. Item qui nocte praecedente diem Veneris dubitat, an media nox elapsa sit necne, nequit carnes comedere: quae est pars magis removens a peccato.

Quomodo intelligenda est Regula illa juris: In dubio melior est conditio possidentis?

R. Praesens regula valet solum in materia justitiae, a jure civili inducta ad lites evitandas: & hoc modo intelligitur, quando quis post possessionem rei bona fide inceptam dubitare incipit, an sit aliena; & adhibitâ sufficienti diligentiâ, adhuc manet in dubio, potest illam retinere. Quia licet tutior pars esset rem alienam non retinere; cum tamen habeat pro se dispositio-

tionem juris, quod in dubio melior ſit conditio poſſidentis, pars quae poſſeſſori favet, evadit tutior. In aliis vero morum controverſiis, ubi diſputatur de honeſtate, & malitia actionis, quae humanae poteſtati non ſubjicitur, locum habet haec alia regula: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, ſicuti demonſtratum eſt in Prop. II.

III. In iis, quae pertinent ad valorem & efficaciam ſacramentorum, tenemur ſequi partem tutiorem, relictâ oppoſitâ probabiliore, etiam probabiliſſima, ut clare patet ex damnata theſi ab *Innocentio* XI. in qua aſſeritur, *non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori*. &c. Ratio eſt, quia probabile hominum judicium ſupplere & commutare non poteſt quod Chriſtus voluit eſſe neceſſarium ad valorem & effectum Sacramenti; ideoque, quidquid probabiliter aſſerunt Doctores de ejus valore, Sacramentum manebit invalidum, ſi falſa ſit eorum opinio. Excipitur caſus extremae neceſſitatis, quo licet adminiſtrare Sacramenta neceſſaria neceſſitate medii, nempe Baptiſmum, & Poenitentiam cum materia, & forma dubia vel probabili, quando certa haberi non poteſt. Quia tunc lex caritatis praecipit, ut proximo opitulemur meliori modo, quo poſſumus.

Similiter medicus tenetur uti opinione

ne non solum probabiliore, sed etiam tutiore. Item quando agitur de vitando damno proximi, quod ex caritate, vel justitia praecavere tenemur. Uno verbo, quando finis debitus obtineri non potest, nisi adhibeantur media, & non opinione tantum efficacia.

Nota: Quod dictum est de dubio positivo, intelligendum est etiam de dubio negativo. Unde in dubio negativo seu juris, seu facti pars tutior sine peccato omitti non potest. Quia homo cum tali dubio licet male fundato, non ageret *ex fide*, seu ex persuasione, quod actio sua hic & nunc esset licita.

Verum hoc dubium satis facile excuti potest, utpote male fundatum, cum vel nullae adsint rationes dubitandi, vel leves & contemtibiles sint. Hinc factâ sufficienti diligentiâ, si nihil in actione de qua negative dubitatur, appareat mali, actio haec tutâ conscientiâ exerceri potest.

APPENDIX

De Opinione Probabili.

OPinio Probabilis in genere moris est *Actus, quo intellectus ob motivum grave sed tamen fallibile prudenter judicat aliquid esse licitum, vel illicitum.*

Dicitur 1. *Actus, quo intellectus judicat*, ut *Opinio* distinguatur a *dubio*. Opi-

pinio enim certum judicium includit; in dubio vero mens anceps haeret. 2. *Ob motivum grave*, idest motivum magni momenti, quod quamvis inevidens sit, est tamen sufficiens ad efformandum pro utraque parte judicium prudens. 3. *Sed tamen fallibile*. Opinio enim differt tum a *scientia*, tum a *fide divina*, quae omnem errandi formidinem ab assensu excludunt. 4. *Prudenter*, nempe ut operans citra utriusque partis studium rationes expendat: & ut motivum ex quo judicat, Sacrae Scripturae, aut Patrum traditionibus, aut Ecclesiae definitionibus non opponatur.

Porro *Opinio improbabilis dicitur illa, quae nititur motiva levi & absolute insufficienti ad prudentem assensum.*

Plurimae sunt opinionis probabilis divisiones: celebriores attingam. 1. Dividitur in probabilem *speculative* tantum, & *speculative* simul & *practice*. Prima in mera speculatione sistit; altera opus, & exercitium spectat. Aliter explicatur a Probabilistis, penes quos Opinio speculative probabilis est illa, quae spectat actionem a suis particularibus circumstantiis abstractam. Practica e contrario, quae objectum proponit cum omnibus circumstantiis particularibus vestitum. Sed perperam. Nam quando variantur circumstantiae, non est amplius eadem, sed altera opinio.

Alia divisio est in probabilitatem ab *in-*

intrinſeco, & in probabilitatem ab *extrinſeco*: Illa ratione, haec Doctorum auctoritate nititur.

Nota, probabilitatem ab intrinſeco omne rationis genus comprehendere, ſive ratio haec ex connexione praedicati cum ſubjecto, ſive a Scriptura Sacra, Conciliis, Patribuſque eruatur. Hi enim ſunt loci proprii, unde moralis ſententiae probationes, & confirmationes eruuntur.

Quando autem aliquam ſententiam plures Theologi defendunt, ea vocatur probabilis ab extrinſeco. Quare extrinſeca haec probabilitas in ſolo Auctorum conſenſu in eâdem ſententiâ ſita eſt. Verum nota, quod auctoritas Doctorum non movet, niſi in quantum praeſumatur conjuncta cum gravi ratione, qua Doctores moti, eam amplexi ſunt. Unde probabilitas extrinſeca reſolvitur in gravem rationem praeſumtam.

Dividitur quoque in *tutiorem*, & *minus tutam*. Opinio quae ſtat pro lege, tutior; quae favet libertati, minus tuta nuncupatur. Nota, opinionem probabilem, vel probabiliorem non eſſe confundendam cum ſententia tutiore, vel minus tuta, cum ea ab utraque praeſcindat. Opinio ſtans pro lege juxta communem intelligentiam tutior eſt, utpote magis remota a peccandi periculo. At eo ipſo non eſt probabilior, quin minus probabilis, & improbabilis eſſe poſ-

 ſit,

sit, si destituta sit fundamentis ac documentis, quae prudentem assensum promereantur.

Postremo dividitur in opinionem *communem*, *communiorem*, & *minus communem*. Opinio communis dicitur illa, quae habet pro se decem, aut octo Auctores, non quoscunque, sed graves. Communior est illa, quam major numerus Doctorum defendit. Minus communis nuncupatur illa, quae a paucioribus propugnatur.

Nota hîc, probabilitatem ab auctoritate non tam ex numero, quam ex qualitate Auctorum metiendam esse. Sunt enim Auctores nonnulli, qui absque praevio sufficienti examine, priorum vestigiis inhaerentes, vel ex necessitate, vel ex affectu, sicut oves (ut loquitur *Navarrus*) sequuntur alios.

Probabilistae ii nuncupantur, qui defendunt licitum esse usum opinionis solide probabilis in concursu opinionis aeque probabilis, atque etiam probabilioris.

Probabilioristae vocantur qui ex opinionibus probabiliorem sequendam docent.

Alii tandem dicuntur *Tutioristae*, qui spretà quacunque probabilitate, semper quod tutius est, sequendum volunt.

Primi *Benignistae*, secundi *Rigoristae*, tertii *Rigidi Tutioristae* ab Adversariis appellantur.

In hac quaestione cuinam partium adhae-

haerendum, satis in praecedenti capite indicavi. In praesenti vero nonnulla explicentur oportet, quae necessaria sunt, ut quisque sciat, quomodo a tricis, & ambagibus Recentiorum se extricare valeat: pro cujus intelligentia quaedam alia praenotanda sunt, quae pro comperto apud omnes habentur.

Certum est I. non esse licitum sequi opinionem *exiguae probabilitatis*, etsi intra fines probabilitatis se contineat, uti constat ex damnata thesi num. 3. ab *Innocentio* XI. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*.

Certum est II. ad extrinsecam opinionis probabilitatem non sufficere meram auctoritatem alicujus Auctoris *junioris* & *moderni*; etsi ejus opinionem non constet esse ab Apostolica Sede rejectam, uti patet ex proscripta propositione num. 27. ab *Alexandro* VII. *Si liber sit alicujus Junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem*.

Certum est III. non solum a Romana Sede damnatum esse extremum laxitatis, ut nimirum sufficiat probabilitas quantumvis tenuis; verum etiam proscri-

ptum esse extremum rigoris , scilicet non sufficere probabilitatem quamvis magnam , uti liquet ex altera thesi ab *Alexandro* VIII. damnata : *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam* .

Certum est IV. non esse licitum uti opinione probabili , relictâ probabiliore vel tutiore , quatuor in casibus. Et 1. in medendo: medicus enim in adhibendis corporum medicinis tenetur uti opinione non solum probabiliore , sed etiam tutiore . 2. In judicando : nam judici secundum opinionem probabiliorem ferenda sententia est ; cum damnata sit haec thesis num. 2. ab *Innocentio* XI. *Probabiliter existimo , judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem* . 3. In collatione Sacramentorum ex propositione num. 1. ab Eodem damnata , quam cap. praecedenti retulimus. 4. Quando timetur periculum damni alieni . Nemini enim licet uti opinione probabili cum periculo damni , vel injuriae proximi .

Nota postremo , opinionem aliquam considerari posse vel in concursu alterius contrariae opinionis , vel extra concursum. In concursu opinio potest comparari cum altera opposita aeque probabili , vel probabiliore .

Opinio aeque probabilis dicitur ea , cujus rationes & auctoritates sunt ejusdem ponderis cum rationibus & auctoritatibus ejus contradictoriae . Opi-

Opinio probabilior dicitur illa, cujus rationes & auctoritates antecellunt rationibus & auctoritatibus partis oppoſitae.

Difficultatis cardo in hoc vertitur, 1. num ſit licitum ſequi opinionem probabilem in concurſu alterius opinionis aeque probabilis, vel probabilioris ſtantis pro lege. 2. An amplecti liceat opinionem probabiliorem pro libertate, relictâ minus probabili tutiore pro lege. Sit ergo

Prop. I.

In concurſu duarum opinionum aeque probabilium, quarum una faveat legi, libertati altera, eam amplecti debemus, quae tutior eſt, ideſt quae ſtat pro lege.

Prob. ex dictis in II. Propoſitione capitis antecedentis.

Obj. I. Qui prudenter operatur, non peccat. Sed qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur. Ergo non peccat, ſive opinio quam ſequitur, faveat praecepto, ſive hominis libertati. Minor prob. Opinio probabilis eſt illa, quae nititur motivo licet incerto, gravi tamen ac ſolido, ut virum prudentem ad aſſenſum movere poſſit. Sed qui agit ductus motivo, quod ad aſſenſum determinare virum prudentem poſſit, prudenter operatur. Ergo qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur; adeoque non peccat, ſive opinio quam ſequitur, faveat praecepto, ſive hominis libertati.

Insuper opinio probabilis non est, nec dicitur, nisi tribus instructa sit conditionibus. 1. Ut ejus motivum seu ratio sit gravis. 2. Ut a gravibus Theologis sit ex professo discussa, & non obiter tantum ab aliquo inspecta. 3. Ut Scripturis, Canonibus, Patribus, & Ecclesiae Decisionibus non adversetur. En potissimum Probabilisticum principium, quod *Probabilistae* vocant *Principium principiorum*, & *fundamentum fundamentorum*.

R. dist. Maj. Opinio probabilis dicitur illa, quae movendo est ad assensum virum prudentem, si non impugnetur ab alia non minus probabili ac tutiore, concedo; secus, nego. Et sub data distinctione respondeo ad Minorem. Qui operatur ex motivo apto ad determinandum virum prudentem ad assensum, prudenter operatur, si motivum non concurrat cum altero, quo ejus gravitas elidatur, concedo; secus, nego. Itaque opinio probabilis cum impugnatur ab alia non minus probabili, non remanet vere ac solide probabilis; cum non possit magis judicari vera ob motivum quo nititur, quam falsa ob motivum opinionis oppositae. Ergo necesse est, ut intellectus inter utramque anceps & suspensus maneat. Ergo in hoc dubii statu nihil melius fieri potest, quam si pars tutior teneatur, ut vitetur periculum peccandi.

Instabis. Opinio probabilis non amittit gra-

gravitatem ſui motivi ex eo, quod concurrat cum opinione oppoſita aeque probabili. Ergo ſive in concurſu, ſive extra, opinio ſolide probabilis movendo eſt ad aſſenſum virum prudentem.

R. Eſto Antecedens, & nego Conſequens. Nam ut intellectus uni parti contrarietatis adhaereat potius, quam alteri, debet probabilitas unius partis praevalere probabilitati alterius. Atqui probabilitas unius opinionis praevalere non poteſt probabilitati aequali. Ergo &c.

Dixi, *Eſto Antecedens*. Quod gravitas unius opinionis eliditur per gravitatem opinionis contrariae aeque probabilis, ſicut vincitur per gravitatem opinionis contrariae probabilioris, & ita neutrum apparet magis verum, quam falſum; ac proinde intellectus neutri parti ſaltem prudenter aſſentire vel diſſentire poteſt, ſed aſſenſum & diſſenſum ſuſpendere debet, & dubius remanere.

Ad Confirmationem ſimiliter reſpondeo diſtinguendo hanc probabiliſticam aſſertionem, ſcilicet licitum eſſe ſequi quamcunque opinionem probabilem, quae tribus inſtructa ſit conditionibus, ut nimirum fulciatur gravi ratione, a viro Theologo ex profeſſo ſit diſcuſſa, neque contraria ſit Scripturae. Si non concurrat cum altera aeque probabili, quae ſtat pro praecepto, concedo; ſecus, nego. Ratio eſt, quia aſſer-

assertae conditiones in sensu probabilistico non sunt a parte rei & absolute verae, sed apparentes; ea nimirum de caussa, quod ab opinante ita judicantur. Cum enim in conflictu duarum opinionum aeque probabilium, & sibi invicem contradictorie oppositarum, una sit necessario falsa; sequitur unam ex his opinionibus, quae ab opinante censebatur solide probabilis, nixa gravi fundamento, neque contraria Scripturae, talem non esse a parte rei, sed apparenter, cum falsum nunquam veritate nitatur. Ac proinde ne operans se exponat periculo errandi, tutiorem eligat necesse est.

Obj. II. Lex dubia non potest certam parere obligationem. Atqui si in dubio de liceitate actionis, ab ea esset abstinendum, lex dubia certam pareret obligationem. Ergo &c.

R. I. Distinguendo Majorem. Lex dubia non potest certam parere obligationem petitam ex parte ipsius legis, de qua dubitatur, concedo; petitam ex parte legis generalis, quae vetat, ne quis se exponat periculo peccandi, nego. Cum enim dubito de aliqua lege, teneor ab actione ipsi contraria abstinere, non quidem vi illius legis quae est dubia, sed vi legis generalis quae praecipit non solum ut obediam superioribus, sed etiam ne me exponam probabili periculo eam transgrediendi.

R. II.

R. II. Si verum eſſet hoc Probabiliſtarum Axioma, Legem nimirum dubiam non eſſe legem, ideſt non obligare; ſequeretur hoc maximum abſurdum, homines ſcilicet exemtos eſſe a lege naturali quod ad maximam ſui partem; cum innumeri fere caſus juris naturae ſint dubii, ut patet ex diſſidiis Doctorum in utramque partem diſputantium.

Hinc in dubiis neceſſarius non eſſet Chriſtifidelibus recurſus ad Ictos, ad Superiores, ad Epiſcopos, ad Summum Pontificem; ſed ſufficeret ex Caſuiſtis colligere elenchum opinionum in utramque partem diſputabilium, ut poſſent opiniones quas maluerint, eligere: quo ſane pacto divinarum humanarumque legum quod ad maximam ſui partem homines beneficio probabilitatis jugum excuterent.

Obj. III. Haec regula juris in 6. *Cum ſint partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori:* ubi nomine *Actoris* intelligitur qui agit, ut obligatio alteri imponatur; nomine vero rei intelligitur ille, cui obligatio imponitur. Ergo in dubio de lege judicandum eſt in favorem libertatis.

R. Nego Conſequen. Praedicta enim regula de ſolis poenis intelligenda eſt, quae hoc unum praeſcribit, ut judex reum abſolvat, ſi in dubio ſit, eum eſſe obnoxium, edicente *Juſtiniano l.* Abſentem 5. *ff. de poenis:*

nis: Satius esse impunitum relinqui facinus, quam innocentem damnare: cui optime succinit haec regula juris civilis: *In re dubia beniguiorem interpretationem sequi, non minus justum est, quam tutum.*

Obj. IV. Haec alia juris Regula: *Odia restringi, favores convenit ampliari*. Ergo in dubio de lege homo non manet obligatus.

R. Odia convenit restringi, quando non agitur de licito vel illicito, concedo; quando de licito vel illicito agitur, nego. Porro Regula loquitur de privilegiis odiosis, quae ampliari non debent.

Obj. V. Regula haec: *In obscuris minimum est sequendum*. Ergo tutius non est sequendum.

R. Nego Consequen. Nam in allata Regula, *minimum* est idem ac *tutius*; illud nempe est sequendum, quod minimum periculi habet.

Prop. II.

Licitum est amplecti opinionem multo probabiliorem ex gravibus momentis pro libertate, relictâ minus probabili tutiore pro lege.

Prob. ex dictis in Prop. III. cap. antecedentis.

At hic advertas volo, me opinionem *multo probabiliorem* dixisse. Nam sequi haud licet opinionem minus tutam, quae solum tutiore paulo probabilior videatur.

tur. Quia in Moralibus parum pro nihilo reputatur. Tenuis enim probabilitatis exceſſus non efficit certitudinem moralem, neque formidinem errandi excludit; ac proinde morale peccandi periculum omnino non tollit.

Q. *Quo in gradu excedere debet major haec probabilitas, ut ſecure aliquis opinionem libertati faventem poſſit amplecti?*

R. Debet in eo probabilitatis gradu oppoſitum ſuperare, quem ſpectatâ negotii magnitudine, & omnibus tum auctoritatis, tum rationum momentis ſimul expenſis, graviores Theologi exiſtimant ſufficientem eſſe ad excludendam errandi formidinem, & ad aſſenſum prudenter praebendum.

Prop. III.

Tenemur ſervare praeceptum, quando opinio illud affirmans, eſt unice probabilis.

Prob. Tenemur ſervare legem, quando prudenter judicamus illam exſiſtere, neque poſſumus, niſi imprudenter, illam negare. Atqui quando opinio aſſerens praeceptum, eſt unice probabilis, homo habet grave motivum illud aſſerendi, & nullum motivum illud negandi. Ergo &c.

Prop. IV.

Extra concurſum licitum eſt ſequi opinionem libertati faventem, quando opinio eſt unice probabilis.

Prob. Prudenter operatur qui habet gra-

grave motivum judicandi actionem suam esse licitam, nullumque grave motivum afferendi esse illicitam. Atqui &c. Ergo &c.

Hinc si qua sint opposita motiva, contemnenda sunt ut scrupuli, utpote rationabili fundamento carentia.

Probabilitas, quam supra rejecimus, est falsa probabilitas a Recentioribus excogitata, quae vaga est & versatilis, ad verum & falsum indifferens. Vera autem probabilitas verum spectat, & quoad fieri potest vero accedit; adeo ut in pluribus verum semper assequatur, in paucioribus deficiat. Hanc probabilitatem cum gravioribus Theologis dicimus sufficientem esse honestae operationis regulam. Legesis D. *Antoninum* 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10.

Q. I. *An licitum sit operari secundum opinionem alienam, quam tu reputas falsam?*

R. Neg. Quia propria conscientia est proxima operationum nostrarum regula; secus, aliena.

Q. II. *An Confessarius conformare se possit opinioni poenitentis, quam falsam credit, & minus probabilem?*

R. I. Neg. Quia cum Confessarius pro Tribunali poenitentiae sedens, doctor sit & judex, debet secundum propriam opinionem & conscientiam poenitentem qui rei personam gerit, dijudicare. Praeterea

terea cum ex probatis non ſit licitum ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, poenitens erit indiſpoſitus, ſi ad eam in praxi ſequendam ſit paratus.

R. II. Poteſt Confeſſarius permittere, ut poenitens ſuam opinionem ſequatur, ſi is doctrinâ praeditus ſit, & rebus ſerio perpenſis, judicet opinionem ſuam multo probabiliorem opinione Confeſſarii. Quia licitum eſt poenitenti agere ſecundum ſuam conſcientiam prudenter efformatam: neque ob hoc ei deneganda a Confeſſario abſolutio eſt, cum ſit rite diſpoſitus. Adde, quod cum in materia morum docti doctis quotidie adverſentur, nemo unus abſolveretur, ut advertit *Colet*. Quia quem errare crederes, is te viciſſim erroris argueret. Quemadmodum ergo aegre ferres tibi negari abſolutionem; ita & ille eandem ſibi denegari merito conquereretur.

Q. III. *Quam Regulam ſequi debeant in defectu ſententiarum qui docent, ſcribunt, dantve conſilium?*

R. Theologus vere Chriſtianus 1. cane pejus & angue devitet hanc quorumdam Probabiliſtarum fatalem methodum, qui de aliquo dubio interrogati, ex tripode hoc modo profantur: *Tueri quis poteſt, probabile eſt, Auctore non caret, utrumque probabile eſt, elige quod malueris*. 2. Utrumque extremum effugiat, tum ne temere & extemplo ſententiam proferat, tum ne

ne plus aequo moleſtus conſulentes difficultatibus obruat. 3. In dirigendis conſcientiis tam voce, quam ſcripto ſtudeat magis prodeſſe proximo, quam placere. 4. Ad quaeſitum, ſi difficile ſit, non decretorie reſpondeat, ſed praemiſſo debito ſtudio, quod ſibi veroſimilius eſt, exponat. Si vero caſus propoſitus ſit facilis reſolutionis, nodum in ſcirpo non quaerat. 5. In gravioris momenti dubiis ita ſuam ſententiam exponat, ut alienam non aſpernetur. Sunt enim qui adeo de ſe praeſumunt, ut totum mundum velint in ſuam opinionem, quae forſitan erronea vel falſa eſt, concludere ſeu coarctare, quaſi ipſi ſoli videant, & ſcientia obitura ſit cum eis, ut loquitur *Hadrianus quaeſt.* V. *de Confeſſione dubio* 7.

CAP. IV.

De Conſcientia Scrupuloſa.

Conſcientia Scrupuloſa ſic definiri poteſt: *Dictamen rationis, quo peccatum apprehenditur ex timore inani*. Scrupulus diſtinguitur a dubio. Dubium ſuſpendit aſſenſum, ſecus vero ſcrupulus. Diſtinguitur quoque ab opinione, quae nititur gravi fundamento; ſcrupulus vero levi. Demum

Con-

Conſcientia Scrupuloſa peccatum apprehendit ex timore inani: hic enim fere eſt ſcrupuloſorum character, qui ſemper anguſtiis premuntur ac torquentur.

Scrupulorum cauſſae plures aſſignari ſolent: praecipuae ſunt melancholia, indoles timida, cerebri debilitas ex morbo, vel ex nimia corporis maceratione, ac diuturnis vigiliis contracta. Hae numeratae cauſſae medicorum, non Theologorum conſilio & ope indigent. Sunt & aliae cauſſae; ut ignorantia, ſuperbia, ſocietas, & familiaritas cum ſcrupuloſis, daemonis ſuggeſtio, &c. Quae expelluntur frequenti oratione, ſubjectione, obedientia erga proprium Directorem, fuga otii, ceteriſque remediis, quae obvia ſunt in Auctoribus. Adeatur *Ludovicus Granatenſis*, *Jacobus Joſephus Duguet in Tract. de Scrupulis*.

Q. *Num liceat agere contra Conſcientiam Scrupuloſam?*

R. Affir. Prob. Scrupulus non excludit judicium moraliter certum de honeſtate operationis. Ergo licitum eſt agere contra illam. Prob. Antecedens. Scrupulus nititur fundamento levi & contemtibili. Ergo deſtruere nequit judicium oppoſitum, gravibus fultum momentis. Scrupuli enim ſunt quaedam veluti nubeculae, quae judicium intellectus obſcurare aliquantulum poſſunt; nullo tamen modo illud praefocare.

Porro non una eſt regula, quae Confeſſa-

riis

riis tenenda est in dirigendis scrupulosis. Sunt enim quibus scrupulus offertur in rebus nullius momenti; cujusmodi sunt, quod temere de proximo judicaverint; quod alio intenti Divinum officium aliasque preces recitaverint, Sacro interfuerint, aut illud celebraverint. Quibus de caussis Confessarii minus periti eis multa privilegia concedunt, quibus eos eximunt ab exacta & severa divinae legis observatione. Interim scrupulosus, praecipue si Clericus sit, vix scrupulis torquetur, ut & otio marcescere, & tempus inutilibus confabulationibus terere, & scholas negligenter frequentare conspiciatur. At prudentis Confessarii erit, illos non benigne, sed severe excipere, cum experientia doceat, scrupulos ut plurimum ceu fumum in auras abire. Sunt autem & qui scrupulis lacerantur, sed de aeterna salute solliciti, exacte sanctam Dei legem observant. Confessarius cum his mitis sit atque benignus; dummodo benignitas morbum non foveat, sed caveat.

TRA-

TRACTATUS DE CONSCIENTIA, ET DE LEGIBUS.

PARS ALTERA.

De Legibus.

EXpositâ Moralium Operationum Regulâ proximâ, ejusque verâ ideâ adversus sanioris doctrinae hostes vindicatâ; illud nunc est reliquum, ut de altera Moralis Honestatis Norma sive de Lege, quae hominis liberi officia moralia dirigit atque imperat, sermonem instituamus. Haec autem Moralis Theologiae nobilis pars uberrimam nobis differendi copiam tradit. Sed pro more, subtilioribus ac superfluis quaestionibus ad Scholasticos remissis, ea selegimus, quae ad mores instruendos, & casus Conscientiae explicandos unice conducunt.

Porro unde *Lex* dicta sit, non una est Auctorum opinio. Quidam enim a *legendo*, quod lex scripta *legatur*, eam deducunt: quod quidem etymon communiter rejicitur, cum necesse minime sit, ut

ut lex absolute scripturae consignetur. Alii a *legendo* sive *eligendo* appellatam esse dixerunt, teste *Augustino*. *S. Thomas* eam arcessit a *ligando*, quia obligat ad agendum. Sed haec levia sunt.

Legis notio, quam passim tradunt Theologi cum *D. Thoma* 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. haec est: *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet, promulgata*.

Explicatur definitio. Dicitur 1. *Ordinatio rationis*: ex quo significatur legem esse actum rationis praecipientis, quid faciendum, quid omittendum sit. Qua de re Lex a Consilio distinguitur, eo quod consilium non obliget, sed tantum proponat, suadeatque; Lex contra urgeat, & adstringat ad actum. *Lex* enim *de sui ratione duo habet*, 1. *quidem quod est regula humanorum actuum*; 2. *quod habet vim coactivam, quam debet habere lex, ad hoc quod efficaciter inducat ad virtutem*. *D. Thomas* 1. 2. *q.* 90. *art.* 3. & *q.* 96. *art.* 5.

Dicitur 2. *Ad bonum commune*: haec verba finem legis produnt, ad quem lex directe & unice intendit. Hinc si lex bonum commune spectat, imponi debet Communitati. Et in hoc differt a simplici praecepto, quod praeceptum nec bonum commune directe spectat, nec perpetuitatem prodit, sed particularis personae commodum atque utilitatem.

Di-

Dicitur 3. *Ab eo qui curam communitatis habet*: haec verba indicant legislatorem esse principem, aut alium qui curam communitatis habet.

Postremo dicitur *promulgata*. Nam lex ut obliget, debet promulgari.

Dividitur Lex 1. in *aeternam*, & *temporalem*. Quoniam lex aut in Deo est, aut extra Deum: si in Deo, est aeterna; si vero extra Deum, temporalis sit oportet. Aeternam legem sic describit *S. Augustinus*: *Lex aeterna est ratio & voluntas Dei, quae rerum ordinem servari jubet, perturbari vetat*. Temporalis, quia aut a Deo, aut ab homine est, idcirco dividitur in *naturalem*, & *positivam*. Naturalis est aeternae legis participatio quaedam in creatura rationali, de qua infra erit sermo. Lex positiva ab aliquo potestatem habente condita est, quae aut *divina*, aut *humana* nuncupatur.

Positiva divina duplex, *vetus*, & *nova*, sive *Mosaica*, & *Evangelica*. Positiva humana similiter duplex. Altera *Ecclesiastica* seu *Canonica*, altera *Civilis* seu *Politica*. De his in sequentibus.

observationem in Evangelio praecepisse. Quare lex naturalis est etiam Evangelica quod ad materiam, seu quod ad rem praeceptam, & vetitam.

Q. *An omnes actus virtutum ad legem naturae pertineant?*

R. I. Ad legem naturae pertinet, quod homo deliberate agens, virtuose agat. Quia quoties homo operatur ut homo, debet secundum rectam rationis normam operari, atque adeo virtuose juxta regulas rationis. Actus vero humanus non censetur virtuosus & laudabilis, nisi habeat objectum legitimum, finem honestum, & circumstantias objecto debitas juxta illud: *Bonum ex integra caussa, malum ex quocunque defectu*.

R. II. Omnium virtutum actus ad legem naturae non pertinent, si sensus sit, quod unusquisque omnia virtutum officia exsequi debeat. Plura quippe virtutum officia sunt, quae aut solo consilio, aut lege supernaturali praescribuntur. Hinc non omnes tenentur ad caelibatum, paupertatem voluntariam &c. quae sine peccato possunt omitti. Contra lex naturalis quidquid praecipit, necessario praecipit.

R. III. Si sensus sit, quod omnes actus virtutum maxime perficiunt naturam rationalem, utique ad legem naturae pertinent. Uno verbo: lex naturalis actus omnium virtutum approbat, sed non omnes

actus

providentia; cum illa bonum commune universi, hoc bonum particulare cujusque creaturae respiciat. Illa vim obligandi prodit, haec ab obligatione praescindit.

Prima inter omnes lex aeterna Dei est, a qua ceterae singulae proficiscuntur. Unde *S. Augustinus lib.* 1. *de libero arbitrio cap.* 6. ajebat: *Te videre arbitror in illa temporali* (lege) *nihil esse justum, atque legitimum, quod non ex hac aeterna sibi homines derivaverint.* Hinc I. leges humanae ab aeterna Dei lege derivant. Nam potestas ferendi leges, & per eas obligandi, & ipsa legis justitia ex Deo est, juxta *Proverb. cap.* VIII. *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt.* II. Lex naturalis etiam ab aeterna lege fluit, Nam lex naturalis 1. vetat quod prohibet lex aeterna. 2. Quia robur & justitia legis naturae habetur a lege aeterna.

Postremo quaeritur, *an omnia, quae sunt in mundo, legi aeternae subjaceant?* Respondetur: Lex aeterna latius sumta extenditur etiam ad irrationabilia & inanimata, ut patet ex illo *Proverb.* VIII. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Proprie tamen & stricte lex solum se extendit ad creaturas intellectuales, quae solae sunt obligationis, & consequenter legis capaces.

C A P. II.

De Lege Naturali.

PArticipationem legis aeternae, ac veluti hujus aeternae lucis radium signatum super vultum mentis nostrae, quo discernimus, quid sit bonum, quid malum, Legem Naturalem vocamus. De ea itaque expendemus 1. an sit. 2. Quid sit. 3. Quaenam praecepta contineat. 4. Num sit mutationi obnoxia. 5. Utrum in ea dispensari possit. 6. An aliquis sine culpa eam ignorare valeat.

§. I.
De Exsistentia, & Essentia Legis Naturalis.

Prop. I.

Exsistit Lex Naturalis nobis a Deo impressa.

Prob. Nomine Legis Naturalis intellimus lumen animae rationali impressum, quo independenter a quacunque lege positiva, honesta, & turpia discernit. Atqui exsistit in homine hoc lumen. Ergo lex naturalis exsistit. Prob. Minor ex *Apost. ad Rom. cap.* 2. qui docet, gentes quae legem

gem scriptam non habent, *naturaliter ea quae legis sunt*, facere, quia habent legem scriptam *in cordibus suis*, quae bonum indicat, & ob malum remordet. Nam sequitur: *Testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*.

Prop. II.

Lex Naturalis est rationis practicae in bonum commune ordinatio, menti nostrae a Deo indita, eaque praecipiens aut vetans, quae lumine naturae cognosci possunt.

Prob. & explicatur Prop. Dicitur 1. *rationis practicae in bonum commune ordinatio*. Per haec verba lex naturalis convenit cum qualibet lege, quae est ordinatio rationis sive regula dirigens.

2. *Rationis practicae*, sive quae non meditationem, sed exsecutionem spectat.

3. *Menti nostrae a Deo indita* &c. Haec verba produnt legis naturalis propriam differentiam, ut nimirum sit nobis a Deo impressa, eaque praecipiat, aut vetet, quae naturae lumine cognoscuntur.

In quo legis naturalis idea collocanda sit, non levis quaestio est. Sunt qui eam collocant in ipsa natura rationali secundum se spectata. Alii legem hanc contendunt esse ipsum lumen naturale, quo discernimus honesta, & turpia: tamen non in

ipſo actu diſcernendi, ſed in habitu conſtituentes. Plures alii eam in ipſo actu ſitam volunt. *S. Thomas* 1. 2. *q.* 9. *art.* 1. *ad* 2. docet, legem naturalem univerſales eſſe propoſitiones rationis practicae ad operationem ordinatas. Quae quidem propoſitiones ſunt nobis inditae ab ipſo Deo, ſuntque participationes aeternae lucis: & licet habitus non ſint, ſunt tamen permanentes & fixae in mente noſtra. Ceterum an lex naturalis ſita ſit in habitu, vel in actu, vel in potentia, vel in ipſo lumine, parum refert ad inſtitutum noſtrum. Qui hac de re plura cupit, adeat Scholaſticos.

Illud tamen eſt animadvertendum, quod licet lex naturalis non dicatur lex, niſi per participationem, quia eſt participatio legis Dei aeternae, quae eſt prima regula moralis honeſtatis; attamen abſolute, & in ſe ſpectata lex naturalis ſimpliciter *Lex* nuncupatur, eique legis proprietates competunt: quippe quae officia noſtra dirigat, praecipiat honeſta, turpia vetet, omniaque ad finem ultimum conducat.

Ex dictis colliges I. non recte procedere juris naturae definitionem, quam tradit *Ulpianus lib.* 1. *Inſtit. tit.* 1. inquiens: *Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus iſtud non humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium*. Si preſſe loqui velimus, hanc defi-

ni-

nitionem falsam esse comperiemus. Jus quippe jubet, & vetat illis, qui libertate instructi, agere vel omittere jussa valent: qua quidem facultate soli homines potiuntur. Hinc *Cic. lib. de Nat. Deor.* inquit: *Soli ratione utentes jure, & lege vivunt.* Verum dici potest, in brutis aliquam juris similitudinem elucere, dum naturae instinctu plura peragunt bruta, quae ipsis, & hominibus communia sunt. Ut maris & feminae conjunctio, prolis generatio, alimentum, educatio, &c.

Colliges II. Legem naturalem non esse acquisitam, sed nobis insitam, ejusque principia non ex populari informatione, usu, & consuetudine hauriri, ut crasse de jure naturae scripserunt Protestantium magistri *Thomas Hobbesius*, aliique; sed ex conformitate ad legem Dei aeternam. Legesis *Tullium lib.* 2. *de Legibus*, & *in Orat. pro Milone cap.*4. qui inter Idololatriae tenebras hunc recentiorum juris naturae Interpretum errorem profligavit. Vocat enim eloquentissimus Philosophus *laudat. Orat. pro Milone* naturae legem *jus non scriptum, sed natum, quod non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quod non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.*

Colliges III. discrimen inter legem naturalem, synteresim, & conscientiam.

actus singulis praecipit.

§. III.
De Mutatione, & Dispensatione legis naturae.

Nota. JUs naturae dividitur in *praeceptivum*, & *permissivum*. Praeceptivum dicitur illud, quod lex naturae praecipit, vel prohibet, ideoque ejus oppositum a nemine statui potest: puta jus, quod statuit servandam esse justitiam, virtutes esse complectendas, temperate vivendum &c. vel prohibet, non mentiendum, non pejerandum, non odio habendum.

Permissivum vero dicitur illud, quod jus naturae approbat & concedit, non tamen praecipit: puta jus, quod approbat bonorum communionem, homines liberos esse, matrimonia contrahi posse, filium patri succedere, fidem adhibendam duobus testibus, &c. Haec vero singulis jus naturae non praecipit, licet approbet concedatque. Haec omnia, quae sub jure permissivo cadunt, mutationi subjecta esse nemo inficiatur. Igitur quaestio erit tantum de jure praeceptivo, hoc scilicet sensu num lex naturalis eadem semper praecipiat, vel vetet.

Prop.

Lex Naturalis absolute, & in seipsa cu-

cujusque variationis, & dispensationis expers est.

Prob. Objectum juris naturalis necessario & ex natura rei est vel honestum, vel inhonestum. Ergo est invariabile. Prob. Antecedens. Objectum juris naturalis ante omnem legem, & liberam Dei ordinationem vel prodit ordinem cum essentia divina, sive cum aeterna ratione, primâ regulâ agendorum, & omnium rerum fonte, & est ex natura honestum; vel ab hac regula deflectit, & est necessario malum & inhonestum. Atqui quod est necessario & ex natura rei honestum, vel inhonestum, est omnino invariabile. Ergo lex naturalis &c. Omnes enim res creatae pendent ab essentia sive ratione divina tanquam a prima caussa exemplari, seu a prima Archetypa idea, quam Deus contemplans omnia creat, disponit, & ordinat.

Hinc sequitur I. jus naturale, suppositâ creaturâ intellectuali, esse omnino necessarium, nec Deum potuisse non praecipere, vel prohibere quae conveniunt, vel repugnant rectae rationi, & essentiae sive rationi divinae, quae est prima honestatis regula.

Sequitur II. officia juris naturae ante omnem legem indifferentia non esse ad honestatem, & turpitudinem, ut propugnare studet *Samuel Puffendorfius lib.* 1. *de Jur. Nat. & Gent. cap.* XI. §. 6. Nam facta

Prop.

Non solum prima principia practica per se nota, verum etiam conclusiones ex eis necessario depromtae, sunt totidem juris naturae praecepta.

Prob. Conclusiones sive proximiores, sive remotiores necessario eruuntur ex primis legis naturae principiis. Ergo sub eâdem lege continentur. Nam aliter conclusio ex primis principiis collecta, esset simul necessaria, & libera: necessaria, quia ita supponimus; libera, quia homo spectato solo naturae jure, posset oppositum eligere, cum a tali lege conclusio non sit praescripta: quod esset absurdum. Ergo &c.

Ex dictis colliges graviter peccare contra jus naturae, qui in re gravi non solum prima praecepta, verum etiam conclusiones legis naturae violat, juxta illud Apostoli *ad Rom.* I. 32. *Qui talia agunt* (contra legem naturalem) *digni sunt morte*. Eo loci damnat Apostolus Ethnicorum vitia contra legem naturae continentem sive principia in conclusionibus, sive conclusiones in principiis. Insuper qui legem naturae violat, graviter offendit Deum, quem sine culpa ignorare non potest, esse illius auctorem. Unde sequitur Apostolus *cap.* II. *Quicunque sine lege* (scripta) *peccaverunt, sine lege peribunt.*

Nota, Christum Dominum legem naturalem explanasse, confirmasse, ejusque

obligatione legis, manentibus omnibus circumstantiis, sub quibus lex viget & obligat.

Posse tamen Deum in multis naturae praeceptis dispensare indirecte & improprie, sed non in omnibus, constat ex superius dictis. Nam impropria dispensatio habetur, quando a praeceptis, quorum materia a Dei dominio pendet, Deus aliquas conditiones, ac circumstantias, quibus materia praecepti affecta est, respectu alicujus tollit; ita ut relate ad illum, in cujus favorem inducitur mutatio, lex desinat obligare. Sic Deus ut supremus rerum ac jurium omnium creaturarum dominus, potest alicui tribuere jus surripiendi bona aliena: ut Israëlitis imperavit, ut vasa Aegyptiorum aurea, & argentea surriperent. Jus item potest tribuere innocentem occidendi: ut Abraham jussit suum filium perimere. Hoc autem jure dato, acceptio boni alieni non est injusta, imo non est acceptio alieni, sed boni, quod fuit alienum: cum per donationem Dei factum sit proprium accipientis. Occisio innocentis est justa, cum fiat auctoritate a Deo accepta, qui potest pro sua voluntate disponere de vita hominum. Vide *D. Thomam* 1. 2. *q.* 100. *art.* 8.

Dixi, *non in omnibus*. Nam sunt quaedam juris naturae praecepta, quae hanc indirectam & impropriam dispensationem ne admittunt quidem juxta dicta superius.

Q. *Quo-*

Q. Quomodo Rom. Pontifex dispenset 1. in actuali Episcoporum residentia in propriis Dioecesibus: 2. in votis & juramentis: 3. in matrimonio rato & non consummato: cum omnia sint juris naturalis?

R. Summum Pontificem nullo modo a residentia personali Episcopos dispensare, sed in aliquo casu ob majorem Ecclesiae utilitatem declarare, a residentia Episcopum esse exemtum. Idem dicendum de exemtione ab implendis votis, servandisque juramentis.

§. IV.
De Ignorantia Juris Naturae.

Nota I. Partitionem juris naturae, quam supra indicavi, nunc repetendam judico. Tribuitur itaque jus naturae in tres classes. In prima sunt universalia juris principia, cujusmodi sunt, faciendum bonum, vitandum malum &c. In secunda sunt conclusiones proximae seu immediatae, quae ex illis primis principiis clare proficiscuntur, ut sunt Decalogi mandata. In tertia tandem classe sunt illa praecepta, quae sunt conclusiones quaedam remotae ex praefatis mandatis, difficili discursu erutae.

Nota II. Convenit penes omnes, nullam dari ignorantiam invincibilem circa prima principia morum, quia sunt per se nota, & cuilibet rationis compoti per se obvia. An detur circa praecepta secundi & ter-

cta hac positione, quod indifferentia sint officia naturae, evidenter infertur, Deum potuisse mendacium, odium, fraudem praecipere. quod maxime repugnat divinae sanctitati.

Dixi in Prop. *absolute, & in se spectata*. Nam sunt quaedam praecepta juris naturae, quae absolute & in se spectata, mutationis sunt expertia. At haec praecepta circumstantias quasdam possunt excipere, vi quarum lex non praecipiat quod sublatis circumstantiis praecipiebat. E.G. Lex naturalis praecipit depositum esse reddendum: eadem lex vetat reddendum esse in hac vel illa circumstantia; ut si quis depositum petat ad impugnandam patriam. Haec mutatio improprie dicitur talis, quia lex proprie non cessat, sed materia legis ratione circumstantiarum quibus circumscribitur, mutatur, & desinit esse sub praecepto legis praecipientis, vel vetantis eam actionem. Scholastici paucis sese expediunt, cum dicunt hanc mutationem materialem esse, non vero formalem.

Dixi, *quaedam praecepta, non omnia.* Nam sunt & alia juris naturae praecepta, quae nec etiam hanc impropriam & materialem mutationem excipiunt. Hujusmodi sunt: *non blasphemandum, non odio habendum, non mentiendum, non pejerandum* &c. Nam hujusmodi actus ita sunt intrinsece mali, ut nullâ circumstantiâ cohonestari;

ri

& tertii generis, non leve diffidium fervet inter Theologos. Negativam sententiam tuentur *Contensonius*, *Marius Diana*, *Norisius*, *Van-Roy*, aliique, quos laudat *Concina* in *Apparatu ad Theologiam* Tomo II. Negant laudati Theologi, dari ignorantiam invincibilem etiam in conclusionibus remotioribus contra jus naturae. Quia, ut ajunt, ignorantia isthaec provenit, vel quia homo voluntarie respuit gratiam, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; vel quia homo pravis cupiditatibus affectus, obicem ponit, qui reddit ignorantiam culpabilem saltem in caussa.

Contra alii docent in praeceptis secundi generis non dari ignorantiam invincibilem, nisi in paucis, & per breve tempus, vel nisi addita aliqua circumstantia apparenter cohonestante: dari vero in conclusionibus remotioribus. Non negaverim quidem circumstantias aliquas interdum conclusiones a principiis longe distrahere, implicatiores nempe, implexioresque. 1. enim circumstantiae facti sunt, non juris: sed inter actum & jus interjectae, quo minus jus applicetur ad actum, impediunt. 2. Regulas quidem juris naturalis non abscondunt, sed quaenam ex iis in actu illo facti, circumstantiis implicato, locum habeant, non apparet. 3. Ut jus applicetur, longo ac difficili ratiocinio, extricatis facti circum-

stan-

ſtantiis opus eſt. Ejuſmodi ſunt occulta rerum adjuncta, ignotae qualitates, incomperta attributa, humana etiam quae concurrunt in ſingularibus & contingentibus inſtituta, conſuetudines, pacta &c. in contractibus commoda & incommoda, pericula & ſpes, lucra & damna, onera & fructus, quorum aequalitas facto non conſtat. Atqui ab his pendet contractuum juſtitia: in his ſudant etiam Theologorum ingenia, ac peritorum induſtria. His praemiſſis, quid in tam abſtruſa & ſalebroſa quaeſtione ſentiam, paucis aperiam, paratus ſemper recipere meliora.

Prop.

Lex Naturalis invincibiliter ignorari nequit quod ad praecepta univerſalia, neque quod ad alia, quae ex illis ſponte fluunt, ut ſunt praecepta Decalogi: poteſt vero quod ad praecepta quaedam particularia a primis principiis remota, atque cognitu difficillima.

Prob. 1. pars. Invincibilis dici nequit ignorantia principiorum, quorum notitia apprehenſis terminis ſtatim intellectui citra diſcurſum ineſt. Atqui talis ſe habet cognitio primorum juris naturae principiorum. Ergo de his invincibilis ignorantia dari nequit. Et ſane principium iſtud: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, eſt tam evidens & menti noſtrae inditum, ut intel-

tellectis terminis quibus exprimitur, non possimus non statim eidem assensum praebere.

Prob. 2. pars. I. Praecepta Decalogi sponte fluunt ex primis principiis, ac sine difficultate ab his eruuntur. Ergo si non datur ignorantia invincibilis de primis principiis, nec etiam datur de praeceptis Decalogi, quae sine difficultate ab illis eruuntur. Nam positâ notitiâ hujus principii, *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, facili negotio concluditur: ergo non est furandum, occidendum.

Hinc peccantes contra praecepta Decalogi, excusari nequeunt, etsi peccent ex ignorantia: cum ignorantia haec sit vincibilis, adeoque culpabilis, utpote orta non ex difficultate cognoscendi talia praecepta, quae facillime cognosci possunt, sed ex defectu attentionis, & ex prava cordis dispositione. Confer huc caput II. *Ep. ad Rom.*

II. Ignorantia contra legem naturalem invincibilis dicenda non est, si non viribus naturae, saltem viribus gratiae vinci possit. Atqui haec ignorantia viribus gratiae dispelli potest. Ergo absolute invincibilis dicenda non est. Deus enim *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, *Joan. I.* Scripturae succinit *Augustinus lib. de quantit. Animae cap.* 14. indubitanter asserens, ex divina providentia numquam *deesse religiosis animis facultates in-*

inveniendi veritatem, eam pie caſte ac diligenter quaerentibus. Ergo ſi eam non inveniant, hoc provenit ex negligentia petendi divinum auxilium neceſſarium ad ejus cognitionem aſſequendam.

Prob. 3. pars. Multae concluſiones juris naturae a primis principiis, ut explicatum eſt, ſunt longe remotae, cognituque difficillimae vel ab ipſis doctis. Ergo facile invincibiliter ignorari poſſunt. Prob. Conſequen. Hae concluſiones non ſine longiore diſcurſu cognoſci poſſunt. Atqui rudes praeſertim ſunt moraliter incapaces hujus altioris inquiſitionis. Ergo &c.

Confirmatur. Ignorantia concluſionum remotarum facti potius eſt, quam juris. Non enim ignotum eſt jus, ſed ignotae ſunt rerum circumſtantiae, ut iis jus notum recte applicetur. Atqui ignorantia facti invincibilis eſſe poteſt. Ergo & remotarum concluſionum.

Confirmatur experientiâ. Non pauci Theologi, imo ſanctiſſimi Eccleſiae Doctores oppoſitas de ejuſmodi concluſionibus docuere opiniones. Atqui ſi invincibilis non daretur ignorantia circa remotas haſce concluſiones, Sancti Doctores vincibiliter erraſſent, adeoque formaliter peccaſſent. Sed dici nequit, homines veritatis aſſequendae ſtudioſiſſimos, culpam perpetraſſe, veritatemque, poſt debitam diligentiam, oratio-

tionem, & alia media necessaria, non invenisse. Ergo eorum ignorantia fuit inculpabilis, ac proinde invincibilis. Fuse tractat hoc argumentum *S. Antoninus I. part. tit. 3. cap.* 10. §. 10.

Dices, remotas conclusiones juris naturae si non viribus naturae, saltem viribus gratiae cognosci posse. Ergo &c.

R. Ad assequendam cognitionem omnium difficultatum, quae oriri possunt ex lege naturali in singularibus & contingentibus, & in implicatis facti circumstantiis, saepe necessariam esse gratiam extraordinariam & miraculosam, quam Deus secundum suae providentiae ordinem conferre non tenetur. Potest ergo homo absque sua culpa carere hac gratia extraordinaria, & consequenter invincibiliter ignorare has praefatas conclusiones remotas, ac difficillimae cognitionis.

Instabis. Ergo aliqua Dei praecepta sunt impossibilia, incognoscibilia, non promulgata: quod est absurdum. Nam Deus impossibilia non jubet.

R. Nego Consequen. Nam Dei praecepta non sunt impossibilia, incognoscibilia, & non promulgata. Sed aliquae difficultates obscurae, quae in singularibus & contingentibus occurrunt, ne jus recte applicetur, sunt incognoscibiles, & huic vel illi incompertae. Praecepta enim naturae omnibus sunt pervia, quamvis difficultates aliquae

quae abstrusae humanae mentis aciem fugiant ob altissimos divinae sapientiae fines.

APPENDIX

De Jure Gentium.

Q. I. *Quid sit Jus Gentium?*

R. Jus gentium est illud, *quod exigente usu, & humanis necessitatibus, gentes humanae sibi constituerunt. Instit. Civil. lib.* 1. *tit.* 2. §. 2.

Dicitur 1. *Exigente usu*. Hujus enim juris caussa est usus & indigentia. Unde Dio Chrysostomus hoc jus *inventum usus & temporis* appellat.

Dicitur 2. *humanis necessitatibus*. Quaedam enim gentium jura naturae corruptionem supponunt: ut sunt discreta dominia, jura commerciorum, jura belli, & alia hujusmodi.

Dicitur 3. *gentes humanae sibi constituerunt:* haec verba produnt tacitam cultiorum gentium conspirationem in certas fixasque regulas seu leges.

Quidam jus gentium dispescunt in *primaevum* & *secundarium*. Illud docent non esse a jure naturae diversum, sed ipsum *jus naturale vitae hominis sociali, negotiisque societatum atque integrarum gentium applicatum:* Hoc vero *jus humanum multis gentibus commune*. Illud *perpetuum* & *im-*

& *immutabile*: Hoc *voluntarium* ac *mutabile*. Illud a naturali jure non differt, nisi *solo objecto*. Nam objectum juris naturae sunt homines singuli seorsum considerati, qui secundum rectam rationem vivere debent: objectum vero juris gentium sunt hominum societates, quae quid justum injustumve, inter se servare debent. Hoc a lege civili non distinguitur, nisi quod haec arctius, jus vero gentium latius pateat.

Juris gentium exempla sunt jura legatorum, belli, commerciorum, &c. de quibus legesis *Instit. Civil. loc. laud.*

Q. II. *An Jus gentium sit praeceptivum?*

R. Affir. Quia Jus gentium est vera lex, vel naturalis societatibus applicata; vel positiva, quam gentes sibi constituerunt.

Hinc colliges Jus gentium etiam secundarium obligare in conscientia, praesertim communitatum capita.

C A P. III.

De Lege Divina Positiva.

LEx Divina Positiva duplex est, vetus seu Mosaica, & nova seu Evangelica.

§.I.

§. I.
De Lege Veteri seu Mosaica.

Q. I. *Quaenam sit Lex Vetus seu Mosaica?*

R. Illa est, quam Deus genti Hebraeae dedit, & Moyses Dei jussu promulgavit. *Exodi* XIX. & XX.

Q. II. *Quot praeceptorum genera Lex Mosaica complecteretur?*

R. Tria, Moralia nempe, Caeremonialia, & Judicialia.

Moralia, quae ad mores ordinantur secundum rectam rationis normam componendos, & in Decalogo continentur.

Caeremonialia, quibus certi quidam ritus ad Dei cultum ordinati praescribuntur: ut fuerunt praecepta, quae sacrificia, sacramenta, instrumenta, & observantias spectabant.

Judicialia, quibus modus justitiae inter Judaeos servandae praescribebatur.

Praecepta Moralia ad naturalem, Caeremonialia, & Judicalia ad voluntariam seu positivam legem spectant.

Q. III. *Quosnam obligaverit Lex Vetus?*

R. Obligavit tantum Judaeos, quibus solis data fuit. *Quae est enim alia gens sic inclita, ut habeat caeremonias, ac justa judicia, & universam legem?* Deut. IV.

IV. Gentiles tamen ad omnia Moralia praecepta servanda fuerunt adstricti, non vi legis scriptae, sed vi legis naturalis.

Q. IV. *Quinam finis Veteris Legis fuerit?*

R. Fuit homines disponere, & praeparare ad Christum Dominum suscipiendum, qui non soluturus, sed impleturus legem veniebat. Quare lex homines non justificabat, sed justificationem quibusdam caeremoniis figurabat; cum justificatio ex fide venturi Mediatoris haberetur.

Q. V. *Utrum Lex Vetus sit abrogata?*

R. Affir. Ita declararunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano, & narratur *Actor.* XV. Adhaec cum harum legum finis jam esse desierit, ipsam quoque obligationem exspirasse necesse est.

Finis vero Legum Caeremonialium erat Christum repraesentare ac praefigurare. Postquam ergo Christus advenit, finis hicce non amplius locum habet. Umbrae fuerunt, teste Apostolo, quae superveniente corpore, Christo, evanuerunt, *ad Coloss.* II. v. 17. Adde *Danielem* XX.

Finis autem Legum Forensium fuit conservatio Reip. Judaicae. Hac itaque jam pridem destructâ atque eversâ, harum quoque legum finis non potuit non exspirare.

Moralium praeceptorum finis, qui est

mores ad rectam rationis normam componere, cum cessare nequeat, nec ejus obligatio cessare possit. Quod autem in disputationem revocant Theologi, illud est, utrum praecepta Decalogi nunc obligant vi legis Mosaicae, an tantum vi legis naturalis, & Evangelicae. Disputatio haec tanti non est, ut nostrum exigat examen.

Q. VI. *Quando Lex Vetus fuerit abrogata?*

R. Statim ac Christus Dominus mortem oppetiit. Nam Apostolus *ad Hebr. III.* ait: *Translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat*. Atqui statim ac Christus Dominus mortem oppetiit, Sacerdotium Aaronicum translatum fuit, novumque conditum, cum Christus novus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech in ara Crucis Patri seipsum obtulit, juxta illud *ad Hebr. X. Aufert primum* (Sacerdotium) *ut sequens statuat*. Ergo &c.

Q. VII. *An statim ac Lex Vetus obligare desiit, ejus observatio mortifera evaserit. Num scilicet mortaliter peccasset qui quo tempore nondum omnino publicatum erat Evangelium, Legalia Mosaica observasset?*

R. Neg. Nam Apostoli pro loco, & tempore oeconomiae caussa, non necessitate salutis legales caeremonias usurparunt, ut patet ex circumcisione Timothei *Actor.* XVI. ex purificatione Pauli juxta legis

legis praescriptum *Actor.* XV. quas sane caeremonias Apostoli non peregissent, si mortifera tunc temporis Legalia fuissent.

Dices: Apostoli Legalia nunquam observarunt post passionem secundum veritatem, sed solum quadam pia simulatione, ne scilicet scandalizarent Judaeos, eorumque conversionem impedirent. Ergo &c.

R. Nego Antecedens. Haec enim simulatio nequivisset efficere licitum quod reipsa malum & illicitum erat. Alioquin etiam Gentilitatis ritus sub simulationis fuco celebrare Apostoli potuissent, ut facilius Gentiles ad Christi fidem adducerent, ut recte argumentatur *Augustinus ep.* IX. *ad Hieronymum*.

Instabis: Morte Christi peractâ, legales ritus erant intrinsece falsi. Nam reipsa Apostoli fidem profitebantur in Christum venturum, qui erat jam natus, & passus. Ergo Apostoli non serio & sincere, sed tantum ficte ritus illos usurpare potuerunt.

R. Nego Antecedens. Apostoli enim legales ritus usurparunt, non quatenus Christum futurum repraesentabant; sed praescindendo ab eorum significatione, quatenus a Deo praescripti erant, ut eum honore Synagoga tumularetur.

Q. VIII. *Quo praecise tempore Legalia coeperint esse mortifera?*

R. Quo tempore eversum fuit Tem-

plum Hierosolymitanum ab Imperatoribus Romanis. Tunc temporis enim manifesta reprobationis tum legalium, tum populi argumenta apparuerunt: neque honor amplius deferendus erat Synagogae jam sepultae.

§. II.
De Lege Evangelica.

Q. I. *Quid sit Lex Evangelica?*

R. Lex Evangelica principaliter est gratia Spiritus Sancti, quae fidelibus datur per fidem Christi, juxta illud Apostoli *ad Rom. I. Lex spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati*: secundario sunt praecepta a Christo tradita.

Q. II. *Quotuplicis sint generis praecepta a Christo tradita?*

R. Triplicis, Moralia scilicet, Caeremonialia, & Judicialia. *Moralia* sunt praecepta juris naturae, quae Christus non instituit, sed clarius explanavit, inculcavit, & ab erroribus, quibus hominum pravitate implicata erant, purgavit. *Caeremonialia* sunt praecepta, quae Novi Foederis Sacramenta respiciunt. *Judicialia* sunt praecepta, quibus Ecclesiam tanquam Judicem, & Matrem audire tenemur, juxta illud Christi: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*

Adde praecepta fidei, quae non sunt de

de novo instituta, sed ejus arcana clarius explicata; ita ut explicite credere teneamur fidei mysteria, quae in lege veteri implicite credebantur.

Q. III. *An Christus dici valeat novus Legislator, ejusque praecepta verae legis habeant rationem?*

R. Affir. Nam 1. in Scripturis Christus ut novus Legislator promittitur. *Iesaiae cap.* V. *Dominus enim judex noster, Dominus Legifer noster, ipse salvabit nos.* 2. Legislatoris est legibus subjungere poenas, quae eos maneant, qui leges sunt transgressuri. Atqui a Christo suis praeceptis poenae sunt adnexae. Ergo &c. *Joan.* III. v.5. *Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Et *cap.* VI. v. 3. ejusdem Evangelii: *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Id etiam liquet ex concione Christi habita *Matth. cap.* V. VI. & VII. ubi Christus legem moralem non tantum explanavit, sed etiam ut legem suam posuit, ejusque observationem gratiâ Evangelicâ temperatam ab omnibus Christianis ut omnino necessariam postulavit. Ubi praecipue notanda sunt Epilogus concionis, & verba, quae exstant v. 2. *cap.* V. *Dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus-*

quam Scribarum, & Phariſaeorum, non intrabitis in Regnum Caelorum.

Prob. altera pars. Praecepta Evangelica ſunt promulgata a Chriſto noſtro rege in bonum Chriſtianae reip. & in perpetuum ſervanda. Ergo habent verae legis rationem. *Euntes docete, baptizantes .... docentes eos ſervare omnia, quaecunque mandavi vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Matth.* XXVIII.

Hinc merito in Concilio Trid. *ſeſſ.* VI. *Can.* 19. 20. 21. damnati ſunt Novatores aſſerentes, nihil in Evangelio praeceptum eſſe praeter fidem, neque Decalogi praecepta ad Chriſtianos pertinere. Item Chriſtum eſſe Redemtorem, cui fidere debemus; non legislatorem, cui obedire adſtringimur.

Q. IV. *In quo differat Lex Vetus a Nova?*

R. Lex Vetus differt a Nova pluribus rationibus. Sed praecipuum diſcrimen eſt, quod lex nova, quod ad praecipuam ſui partem habeat vim juſtificandi, non vero lex vetus. *Ibi*, in lege veteri, *lex extrinſecus eſt poſita, qua injuſti terrerentur: hic*, ſcilicet in Evangelio, *intrinſecus data eſt, qua juſtificarentur. Auguſtinus de ſpiritu, & litera*. Hinc lex vetus non juſtificabat, niſi per fidem Chriſti, qui eſt auctor Novi Foederis. Unde eos *qui in Ve-*

Veteri Testamento habuerunt gratiam Spiritus Sancti, & caritatem, secundum hoc pertinuisse ad legem novam, inquit *D.Thomas* 1. 2. *q.* 107. *art.* 1. *ad* 2.

Dixi, *Justificat quod ad partem sui praecipuam*, nempe quod ad gratiam Spiritus Sancti: quod ad partem vero minus praecipuam, nempe quod ad praecepta de credendis & agendis, per se non justificat. Quia praecepta per seipsa solum praescribunt, quid credendum, quid agendum sit. Unde etiam praecepta Evangelica ad literam quae occidit, reducuntur; nisi adsit gratia fidei sanans. *Augustinus cap.* 14. *de Spiritu, & litera.*

C A P. IV.

De Lege Humana secundum se.

HEic tria expendemus 1. an sit in hominibus condendarum legum potestas. 2. An valeant obligare in conscientia. 3. Penes quosnam resideat haec potestas.

Nota. Supremas Potestates auctoritate legum ferendarum pollere post *Waldenses*, & *Wicleffistas*, *Lutherus* & *Calvinus* in discrimen vocarunt. Eorum Sectarii eas tantum admittunt leges, quae materiam di-

vina lege praescriptam complectuntur: leges vero mere humanas aut penitus rejiciunt, aut restringunt in foro duntaxat exteriore, cum illae per eos in conscientiae foro non obstringant.

Prop. I.

In societate civili Supremae Potestates facultate legum condendarum praeditae sunt, quae circa ea etiam quae jure divino praescripta non sunt, conscientiam obstringunt.

Prob. I. Christus legem Caesaream de tributis solvendis observari praecipit: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari. Lucae* XX. Atqui materia hujus legis ab Ethnico Principe latae de jure divino praecepta non erat. Ergo &c.

Prob. II. Ex Apost. *ad Rom.* XIII. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram* seu poenam, *sed etiam propter conscientiam*. Unde sic: Leges, quas Apostolus servandas inculcat, latae a paganis erant, & tamen, teste eod. Apostolo, in conscientia ligabant; ita ut qui ipsis resistebant, Deo ipsi resisterent, & idcirco damnationem sibi acquirerent aeternam. Ergo turpiter errant Sectarii, humanas leges conscientiam non obstringere effutientes.

Prop. II.

Adest quoque in Ecclesia divinitus tra-

tradita Canonum ferendorum facultas, qui Fidelium spirituale regimen respiciunt, eorumque conscientias ligant.

Prob. I. A Spiritu Sancto constituti sunt Apostoli, eorumque successores Praesides ac Rectores Ecclesiarum, ajente Apostolo *Paulo Actor.* XX. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Atqui suprema regendi potestas facultatem secum fert condendi leges, quibus multitudo ad suum finem dirigitur. Ergo &c. Adde verba Christi Apostolos alloquentis *Lucae* X. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Quibus sane verbis multitudinis obligatio eruitur Praesidum Rectorumque praeceptis acquiescendi.

Prob. II. Ex hujusce potestatis usu, quem usurparunt Apostoli *Actor.* XV. 28. ubi haec habentur: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Ex quo sic: Non minor est nunc, quam olim fuit Ecclesiae auctoritas. Atqui leges ab Apostolica Ecclesia in Conciliis Hierosolymitanis rogatae, Fidelium conscientias ligabant. Ergo etiamnum Ecclesia eádem potestate gaudet. Minor patet. Nam quod praecipitur in Apostolico Canone, imponitur ut opus necessarium, quod veram obligationem supponit.

Confirmatur ex conſtanti Eccleſiae praxi, quae pro Chriſtianae Reip. bono diverſas diverſis temporibus condidit leges, graviſſimis ſpiritualibus poenis adjunctis.

Dices contra I. propoſitionem: Principes ſeculares ſaltem infideles condendo leges, ad forum conſcientiae non attendunt. Ergo ſaltem eorum leges conſcientiam non ligant.

R. Ad obligationem in foro conſcientiae inducendam ſatis eſt, ſi Principes ſeculares ſua poteſtate legislativa uti intendant. Cum enim ea poteſtas a Deo ſit, & Deus ſubditos eis reſiſtere prohibeat; ſequitur, ex uſu legislativae poteſtatis oriri in ſubdito, etiam Principe neſciente, obligationem in conſcientia gravem vel levem, ſecundum materiae ſub lege contentae gravitatem vel levitatem.

Inſtabis. Ergo nullum erit praecepta divina inter, & humana diſcrimen.

R. Id verum eſſe quod ad obligationem in conſcientia inducendam; differre tamen in eo, quod divina ſint immediate a Deo, humana autem immediate ab homine: cujus tamen poteſtas vim habet & auctoritatem derivatam ab ipſo Deo vel auctore naturae, vel auctore gratiae. Ex quo etiam patet humanam legem ſemper inferiorem eſſe lege divina, a qua ſuam haurit vim & auctoritatem.

Dices I. contra II. propoſitionem: Eccleſia

clesia non est Imperium. Ergo leges ferre nequit.

Prob. Antecedens. Ecclesia Christi institutione nec jura, nec instrumenta Imperii habet; non tributa, non vectigalia, non milites: dominium omne ab Ecclesia interdicitur I. *Petri cap.* V. *v.* 3. non jus coërcendi, ac puniendi rebelles & contumaces, sed solum abstinendi ab his tanquam ab ethnicis & publicanis. Ergo si Ecclesia jura & instrumenta imperii non habet, Imperium non est; adeoque ei non competit potestas legislativa.

R. Distinguendo I. Antecedens. Ecclesia non est Imperium civile & politicum, concedo; spirituale, nego.

R. Pariter distinguendo II. Antecedens. Ecclesia non habet jura & instrumenta Imperii civilis, concedo; spiritualis, negò. Ecclesia enim Christi institutione est Regnum spirituale, cujus regimen ipse Christus Apostolis eorumque in ministerio successoribus commisit. Regnum istud habet sua jura, & instrumenta; qualia sunt Sacramenta, divini verbi praedicatio, potestas condendi leges pro spirituali fidelium regimine, refractarios & contumaces poenis spiritualibus coërcendi. Excluditur vero ab Ecclesia dominium, non omne, sed illud, quod ab hujus seculi potestatibus exercetur per physicam & corporalem coactionem, iisque omnibus, quae huic adstipulantur.

Hinc vetus Ecclesia modestiae suae minime convenire imperiorum legis vocabulum existimavit, eo quod vim civilem seu violentam corporis coërcitionem contineat; ideoque *canonum* h. e. *regularum* graeca & leniore voce, unde ortum *Jus Canonicum*, usa est. Vide *Vincent. Gravina Instit.. Can. lib.* 1. *tit.* 1.

Dices II. Ecclesiasticae legis objectum Sacra sunt. Sacrorum autem nomine veniunt vel actus interni, E. G. quid credere debeamus: vel externae actiones, E. G. cultus doctrinae in Ecclesiis proponendae &c. Sed de neutro eorum Ecclesia leges ferre valet. Ergo nulla in Ecclesia adest saltem ratione objecti legum ferendarum potestas.

Prob. Minor quod ad primam partem. 1. Quia Religio libera est, & a nemine cogi potest. 2. Quia actus interni non sunt humanae legis objectum: cum poenae obnoxii non sint, neque de his judicium institui possit. Hinc *l.* 18. *ff. de Poenis, Cogitatione poenam nemo patitur.* Ergo &c.

Prob. quod ad alteram partem. Actionum externarum sylloge ad Reip. tranquillitatem, vel perturbationem confert. Ergo earum directio ad illum spectat, cui, Principi scilicet politico, commissa est Reip. pax & securitas.

R. Ad primum. Religio utique libe-

ra

ra est; quia non coacte, sed libere suscipi & rejici potest. Sed si quis pro sua aeterna salute ingredi velit Ecclesiam (extra quam salus haberi non potest) articulos Fidei ab Ecclesia propositos amplecti & credere tenetur, nec potest proprio arbitrio illos temerare ac corrumpere. Ecclesia enim jus accepit a Christo docendi, & praecipiendi, quid credere debeamus. Ergo vi relatorum tenentur subditi Ecclesiae praeceptis obtemperare. Ergo actus interni non sunt legis humanae objectum judicio coactivo, concedo; secus, nego.

R. Ad secundum distinguendo Consequens. Actionum externarum directio pertinet ad Principem politicum in ordine politico sive in genere civilis societatis, concedo; secus in ordine Religionis. Christiana enim Religio a Christo instituta in suo esse morali, ab Imperio civili non pendet: immo Imperio ipso adversante, consistere potest. Quod patet ex primis Ecclesiae seculis, in quibus, furente Romano Imperio, permanebat vera Religio, sicut sistit Imperium in ordine politico sine vera Religione.

At cum Religio a Rep. suscipitur, civilis, & sacra Potestas mutuo se adjuvant; nihilque juris Principi adimitur externas civium actiones inspiciendi in ordine ad publicam vitae hujus tranquillitatem, & communem politiam.

Hinc jus illud Oeconomicum proficiscitur, quo gaudent Principes in materia Religionis, cavendi scilicet, ne Canones impune violentur, aut novis turbentur statutis, quae neque Religioni sunt necessaria, neque civium indoli conveniunt.

Praeterea verâ Religione in societate civili admissâ, Ecclesiae Protector Princeps evadit, qui & Ecclesiae jura defendat, suâque auctoritate improbos novis doctrinis illius pacem turbantes compescat. Quod quidem clarissime demonstratur exemplis Christianorum Principum, praesertim *Constantini Magni*, qui Nicaenos Patres sic allocutus est *Eusebio* teste *lib.* 4. *in vita Constant. Vos quidem in eis quae intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis; ego vero in eis quae extra geruntur, Episcopus sum a Deo constitutus.* Perperam igitur *Pufendorfius* Christianae Religionis duos supremos judices constituit, unum internum, proprium nempe arbitrium, quod ad phanatismum inducit; alterum externum, Principem scilicet politicum: quod Christi institutionem destruit.

Q. I. *Penes quas personas in civili societate resideat condendarum legum potestas?*

R. Penes ipsas supremas Potestates. Jus enim ferendi leges inter jura Majestatis & quidem praecipua computatur.

Nota I. Suprema Potestas seu Majestas est facultas, nullum habens superiorem,

rem, actiones civium ad communem & publicam felicitatem dirigendi.

Hinc forma regiminis inspicienda est. Aut enim omne Imperium penes unum est, ut in *Monarchia*, & tunc jus legum ferendarum soli competit Regi: aut penes plures, ut in *Aristocratia*, & tunc Senatores, seu Optimates qui in commune consulunt, possunt leges condere: aut Imperium est penes omnes, nempe penes totum populum in comitiis congregatum, ut in *Democratia*, & tunc populi suffragiis leges feruntur: aut est mixta regiminis forma, ita ut vis legislativa sit in Senatu, exsecutiva in Principe, ut in Anglia: aut utraque simul in utroque communi jure exerceatur, ut in Svevia: aut legislativa in Principe, exsecutiva in Senatu, ut alibi. Legesis *D. Thomam* 1. 2. *q.* 95. *art.* 4.

Nota II. Jura Majestatis, quae vulgo *Regalia* nuncupantur, sunt jura illa, quae summo Imperanti competunt, ut interna & externa Reip. securitas obtineri possit. Haec jura a quibusdam dividuntur in *immanentia*, & *transeuntia*. Illa summus Imperans exercet erga cives, E. G. jus leges ferendi, judicandi, tributa imponendi: His utitur erga exteros, E. G. jus legatos mittendi, foederum, belli, & pacis. Nonnulli satis concinne omnia ad tria capita, *Regimen* scilicet, *Imperium*, *Dominium* revocant. Ex

Ex dictis colliges regulas, quae a superioribus in imperfectis societatibus, puta conjugali, herili, collegio, praescribuntur, non esse proprie leges, sed praecepta, & statuta. Non enim, ut diximus, cujusque est leges ferre, sed solius summi Imperantis, ad quem spectat subditos ad felicitatem, & politicam communionem dirigere. Confer huc *D. Thomam p. cit. q. 90. art.* 2. Scholastici pro more paucis sese expediunt, asserentes potestatem legislativam pertinere ad eum qui praeest communitati perfectae: illi scilicet communitati, quae sibi est sufficiens ad finem assequendum.

Q. II. *Quinam in Ecclesia valeant leges condere?*

Nota. Ecclesiae regimen, & ipsa forma regiminis a Deo sunt instituta. Ecclesia enim a Christo claves accepit, quae sunt supremi regiminis symbolum: quasque non nisi per Apostolos, & praecipue per Petrum, qui Ecclesiae personam gerebant, ad eam pervenisse testatur *Augustinus Tract.* XXIV. *in Joan.*

Idem S. Doctor praesertim contra Donatistas claves tum Ecclesiae sive Unitati, tum Apostolis datas fuisse ut ejusdem Ecclesiae Ministris ac Pastoribus, qui ejusdem figuram & personam gerebant. Id ita explicat *Tostatus Episcopus Abulensis in can.* 13. *Num. quaest.* 48. 49. ut a Christo ipso proprietatem clavium Unitati, ministerium

rium Paftoribus datam velit. Verum enimvero id immotum fixumque fit, clavium poteftatem minifteriumque Paftoribus non a multitudine, fed a Chrifto ipfo immediate derivari per manuum impofitionem, &, ordinatis Paftoribus non humano fuffragio, fed divino jure refervari.

Supremus autem Ecclefiae Magiftratus fuit Apoftolorum Collegium, fervato debito ordine ad Petrum, jure divino totius Ecclefiae caput.

Apoftoli vero omnes una cum Petrò poteftatem regendi Ecclefiam immediate a Chrifto acceperunt fub eo tamen Capite.

Jam vero Apoftolico Collegio in ecclefiaftico regimine ordo fuccedit Epifcopalis, cujus apex Rom. eft Pontifex, Petri fucceffor, primufque Chrifti Vicarius, qui jure divino in univerfa Ecclefia Primatum habet non dignitatis & honoris tantum, fed auctoritatis & poteftatis.

Porro pro recto Ecclefiae regimine inftitutae funt Dioecefes feu unius Dominici gregis fingulae portiones, quas finguli Epifcopi in folidum teneant. Qua in partitione Epifcopalis jurifdictio intra propriae Dioecefis confinia limitata eft, adeo ut unus in alterius meffem nequeat immittere falcem, fed fuae folum Ecclefiae profpicere: nihilque eo vel maxime pro univerfa Ecclefia ftatuere poffit, five in univerfalibus Ecclefiae legibus mutare aut altera-

terare. Verum urgente necessitate, & Fide, vel disciplinae substantia periclitante; potest quilibet Episcopus non jure proprietatis, sed Caritatis jure in alienam Dioecesim suam curam protendere; quia juxta illud *Cypriani* effatum, *Episcopatus est unus, cujus in solidum pars ab unoquoque tenetur*.

Ad Rom. tandem Pontificem, cui a Christo Domino omnium Ecclesiarum sollicitudo demandata est, pro totius Ecclesiae bono spectat canones edere, canones custodire, dissidentes ad unitatem revocare &c. quae & jure Primatus, & sacris Canonibus, & longa consuetudine ad eum pertinent, de quibus vide Canonistas.

Quod si necessitas urgeat, pro componendis Fidei controversiis, vel pro Ecclesiasticae disciplinae reformatione, aut Schismate tollendo, convocandum est Generale Concilium, totius Christianae gentis venerabilis senatus, supremum Tribunal, Pastoratus universus, qui universalem Ecclesiam repraesentat.

R. Pro universali Ecclesiae regimine Rom. Pontifex, qui est totius Ecclesiae caput. Item Concilium Generale, quod universam repraesentat Ecclesiam. Concilium Nationale pro tota Natione, & Provinciale pro tota Provincia. Episcopus pro sua Dioecesi licet non consecratus, modo sit confirmatus. Archiepiscopi, Patriarchae sub-

ſubditis ſuis leges imponere poſſunt: extra Concilium tamen pro univerſa cui praeſunt provincia, leges ferre non valent. Qui habent juriſdictionem quaſi epiſcopalem, ut aliqui Abbates, pro locis ſibi ſubjectis. Ordines Religioſi virorum poteſtatem habent legislativam proprie dictam, non tamen praeciſe vi ſuae approbationis, ſed ob expreſſam Pontificis conceſſionem.

Q. III. *Num Declarationes Sacrae Congregationis Cardinalium vim legis habeant, ita ut non ſolum in caſu particulari definito, ſed & in aliis ſimilibus obligent?*

R. Sunt qui negant, hujuſmodi Declarationes vim legis habere, eo quod ſolemniter non promulgentur, quemadmodum leges promulgari ſolent. Alii autem affirmant; cum leges recens conditae promulgatione indigeant; ſecus vero legum Declarationes. Alii tandem litem hac diſtinctione componunt, ejuſmodi nimirum Declarationes tum vim legis habere, cum prodeant a Pontifice approbatae, ejuſque juſſu promulgatae, & a Praefecto Congregationis ſigillo munitae: ſecus, ſi a ſolis Cardinalibus, inconſulto Papa, factae ſint, licet magnam praeſeferant doctrinalem auctoritatem.

Ex dictis colliges I. cum *Gelaſio* Papa *ep.* 8. *ad Anaſtaſium* Imperatorem, duo eſſe, quibus hic mundus principaliter regitur, Sacerdotium ſcilicet, & Imperium.

Am-

Ambo divinam habent originem. Sacerdotium enim solvendi atque ligandi immediate a Christo accepit Pontificium: Imperium vero a Deo, naturae auctore, & humanis rebus consulente, suam hausit majestatem, sed non immediate, sicut sacra Pontificum auctoritas; sed mediante populi consensu vel electione, ut contendunt quidam Doctores. At hoc parum refert, dummodo firmiter teneamus, nihil habere Regiam Majestatem, quod ei desuper datum non sit.

Porro utraque Potestas quamvis ab uno eodemque procedat principio, ut loquitur *Justinianus Novel. 6.* sunt tamen utriusque Potestatis officia Dei ordinatione discreta. Sacerdotium enim divinarum rerum gerit curam, Imperium humanarum. Illud divina dispensat, hoc humana administrat. Et licet hae Potestates in se sint absolutae & independentes; artissimo tamen vinculo ita conjunguntur, ut & Imperii legibus pareant Religionis Antistites, & Imperii Rectores Ecclesiae filios se profitentes, rerum divinarum Praesulibus devota colla submittant. Ex hac mutua consensione & obedientia oritur illa Sacerdotii, & Imperii adeo optata concordia, qua Deo quae Dei sunt, & Caesaris quae sunt Caesari, tribuuntur.

Colliges II. Ecclesiam perfectam esse communitatem, cui institutione divina in sacra com-

competit jus seu potestas. Haec autem triplex est: prima Ordinis, Jurisdictionis interioris altera, tertia Jurisdictionis exterioris. Ad primam pertinet sacramentorum confectio atque administratio: ad secundam potestas absolvendi & ligandi conscientias: ad tertiam denique potestas fidei controversias dirimendi, convocandi Concilia, iisdemque praesidendi, imponendi manus & constituendi Ecclesiae Ministros, & poenis spiritualibus in delinquentes animadvertendi. Summi vero Imperantes civiles, quos Deus sanctae fidei, Ecclesiaeque Protectores esse voluit, ut docet Tridentinum *Sess.* XXV. *cap.* 20. in sacra jus *Protectionis* habent, Ecclesiam nempe, ejusque jura, & regimen tueri & juvare possunt ac debent.

Ex his itaque, quae de utriusque Potestatis sacrae & politicae indole, & Scripturarum oraculis, ac Ss. Patrum doctrina retulimus, quis non videt, quam inepte *Samuel Pufendorfius* in libello *de habitu Religionis Christianae ad vitam civilem* Sacerdotium cum Imperio confundat, jus sacrum cum civili permisceat, nullamque agnoscens in sacra potestatem a politica sejunctam, unicam summam statuat potestatem, sacra & profana moderantem?

AUCTARIUM.

Q. *Utrum Ecclesia infallibilis sit in praecipiendo?*

R. Affir. in sensu explicando.

Prob. I. Ecclesia suis praeceptis jus divinum aut interpretatur, aut determinat, aut applicat, aut media praescribit, quibus illud facilius, suavius, tutius exsequamur. Atqui in jure divino interpretando, determinando, applicando, exsequendoque infallibilis prorsus est, attentis promissionibus Christi. Ergo &c.

Prob. II. Ecclesia praeceptis aut declarat jus revelatum, si quod controversum accidit, aut juris revelati modum in Religione, in cultu, in ritu definit. Atqui &c. Ergo &c.

Prob. III. Materia praeceptorum Ecclesiae quod ad fundamentum, basim, substratum, atque, ut ajunt, fundum, ad cultum divinum pertinet, ad Religionem, ad Moralem & in ordine ad alteram vitam tendit. Atqui in cultu divino, in via ad alteram vitam designanda infallibilis est. Ergo &c. Neque enim philosophicis, civilibus, profanisque tricis ac technis delectatur Ecclesia in praecipiendo: sed qua viâ suavius, facilius, tutius, cautiusque ducantur homines ad vitam aeternam, id curat.

Dixi, *in sensu explicando*. Non enim ne-

negaverim modos, quibus jus divinum observare tenemur, ab Ecclesia praescriptos, non ad jus divinum, sed ad disciplinam pertinere; proinde congruentes circumstantiis loci, temporis, personarum, quae ut variare possunt, ita & disciplina potest: in quibus circumstantiis (utpote facti) discernendis non revelatio, sed humana scientia ac prudentia adhibetur. Conferendus hìc *Melchior Canus in Loc. Theolog. lib.* 5. *cap.* 5. *q.* 4. *Conclus.* 1. 2. 3.

C A P. V.

De Humanae Legis Conditionibus.

Q. I. *Quaenam sint Humanae Legis Conditiones?*

R. Generales potissimum tres sunt; ut lex scilicet sit *justa*, *possibilis*, *utilis*: speciales vero duae sunt, nempe ut *loco*, & *tempori* sit conveniens. Adeatur *D. Thomas* 1 2. *q.* 95. *art.* 3.

Et primo quidem humana lex *justa* sit oportet: tum ex parte materiae, tum ex parte formae, tum ex parte legislatoris. *D. Thomas* ibid. *q.* 96. *art.* 4.

Et sane ex parte *materiae* legi subjectae, justa erit lex, quae rectae rationi, & divinae legi sit conformis. Quare lex quae

rem

rem turpem aut inhonestam praeciperet, non erit lex, sed legis corruptio. *D. Thomas* ibid. *q.* 95. *art.* 2.

Ex parte vero formae, qua lex praescribitur, justa erit, quando *secundum qualitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune. D. Thomas* ibid.

Ex parte tandem legislatoris requiritur legitima ferendae legis potestas.

Possibilis quoque debet esse lex, i. e. humanae conditioni conveniens. Apposite *Grotius de J. B. & P. lib.* 1. *cap.* 4. §. 7. *n.* 2. *Ferri enim leges ab hominibus solent & debent cum sensu humanae imbecillitatis*. Considerent quippe legislatores quid haec fragilitas ferat, nec mandent quod homo natus praestare nequeat. Ita *Gronovius* τὸ *cum sensu* explicat.

Utilem denique legem esse diximus. Finis enim legum est bonum commune. Hinc legibus solent praecedere vota populi eam cupientis legem, quam ad conservationem status necessariam, & ad promovendam Reip. felicitatem utilem esse praesentiat.

Quod autem *loco*, & *tempori* sit conveniens, nil aliud est, quam ut fini & formae Reip. ac civium indoli optime quadret. Quod quidem prudentiâ quanta maximâ indiget. Saepe enim unam vel alteram legem imprudenter latam Remp. plane pessum

ſum dediſſe, ait *Pufendorfius de Off. Hom. & Civ. lib.* 2. *cap.* 11. §. 5. Hinc leges hiſce conditionibus latae *juſtae ſunt, & obligant in foro conſcientiae, & ſunt leges legales*. *D. Thomas* ibid.

Q. II. *Qua ratione differat Lex a Praecepto?*

R. Triplici de cauſſa; & 1. Lex praeceptum univerſale eſt, omnes obligans cives: Praeceptum vero ſtricte ſumtum ſpeciale eſt, quod unum tantum vel alterum ad quem dirigitur, obſtringit. 2. Lex praeceptum eſt perpetuum, tamdiu valiturum, donec ab ipſo Principe abrogetur. 3. Lex a ſola ſuprema Poteſtate condi poteſt: Praeceptum vero a quocunque ſuperiore. *D. Thomas* ibid. *q.* 90. *art.* 2.

C A P. VI.

De Humanae Legis Materia.

Materia humanae legis, ſicut legum ceterarum, ſunt actus humani, qui praecipi aut vetari poſſunt, quatenus communi bono, ad quod lex unice ſpectat, aut conferunt, aut officiunt.

Hinc cujuſcunque virtutis praecipi, & cujuſcunque vitii actus vetari humana lege poſſunt; cum unaquaeque virtus conducat,

& unumquodque vitium obsit bono communi.

Jam vero non solum virtutum actus, verum etiam actus indifferentes humanae legis praecipientis aut vetantis materia esse possunt: dummodo in aliqua circumstantia praecipiantur aut vetentur, in qua cum bono communi convenire aut pugnare judicantur. Verum legislatores humani praecipere omnium virtutum officia, aut omnia vitia collective accepta prohibere nequeunt; cum humanae legis objectum ipsi subditorum communitati moraliter possibile sit oporteat. Atqui spectata humanae naturae imbecillitate, omnia virtutum officia peragere, omniaque vitia evitare, hominum communitati moraliter impossibile est. Ergo &c.

Praeterea non omnibus quoslibet virtutum actus etiam heroicos praecipere lex humana valet, nisi bonum commune aliquem ejusmodi actum exigat. Hinc imprudenter omnibus praeciperentur virginitas, solius panis & aquae jejunium &c. cum ea lex plerisque esset moraliter impossibilis.

Hoc tamen non obstat, quin ejusmodi actus ex aliqua hypothesi voluntaria praecipi possint. Ita Ecclesia iis, qui sacris ordinibus initiari volunt, perpetuum praecipit caelibatum. Quae quidem cum ad omnes certa sint, nihil est quod hac

in

in re diutius immoremur.

Verum heic duo nobis examinanda occurrunt, 1. An lex humana ad actus internos se extendat. 2. An lex humana rem praeceptam in ea collocet virtute, ex cujus motivo etiam extrinseco praecipitur.

§. Unicus.
Utrum legibus humanis actus etiam interni possint praescribi.

Nota I. Actus interni alii sunt mere interni cum externis non connexi; ut oratio pure mentalis. Alii sunt cum externis connexi: quae quidem connexio dupliciter esse potest. Prima dicitur *per se*, in qua actus interior est veluti exterioris forma in genere moris, & virtutis. Quo pacto est intentio ad orationem exteriorem requisita, consensus ad quemlibet contractum celebrandum. Altera vocatur connexio *per accidens*, in qua actus exterior absolute nullam dicit connexionem cum actu interiore, sed mere concomitanter ad illum se habet: puta jejunia, orationes ab Episcopo institutae ad pacem obtinendam, ad calamitatem avertendam &c.

Nota II. Potest porro aliquid directe, vel indirecte praecipi. Praecipitur *indirecte* quod alterius caussa jubetur, propterea quod actus sine illius adminiculo aut omnino fieri nequeat, aut non fiat recte, atque

 ut

ut oportet. Puta lex quae obligationem mandat contractuum, liberum quoque praecipit voluntatis assensum, sine quo haberi nequit duorum, vel plurium in idem placitum consensus: praeceptum canonicas horas persolvendi, internam quoque praecipit attentionem, sine qua fructuosa ac perutilis oratio esse nequit. *Directe* vero praecipitur illud, quod per se, & ratione sui sine alterius consideratione praecipitur observandum, E. G. opus ipsum, quod per legem declaratur esse ponendum, puta jejunium &c. His positis,

Prop. I.

Lex humana actus internos indirecte & concomitanter praecipere, aut prohibere potest.

Prob. I. Lex humana veram orationem externam, verum votum, verum contractum praecipere potest. Ergo indirecte & concomitanter praecipere potest veram intentionem laudandi Deum, voluntatem se obligandi &c. quae essentialiter requiruntur ad veram orationem, verum votum, verum contractum. Quando enim actus internus forma est & essentia moralis actus externi, lex humana quae directe actum externum praecipere valet, indirecte interiorem jure imperat.

Hinc Ecclesia, quae Beneficiariis praecipit horarum canonicarum recitationem, indirecte imperat internam attentionem, sine

sine qua oratio non subsisteret. Item quando fidelibus praecipit annuam Confessionem, Communionem Paschalem, Missae auditionem, indirecte praecipit omne id, quod requiritur ad Sacramenta rite suscipienda, ad Missam rite audiendam.

Idem cum debita proportione dicendum de lege civili. Lex enim civilis aliquem contractum praecipiens vel prohibens, internam imperat vel vetat intentionem ad eum actum requisitam. Nam si actus externi si actibus internis essent destituti, Reip. multum obessent, ut sunt contractus ficti.

Prob. II. Quamvis actus internus non sit necessario requisitus ad actum externum, sed mere concomitanter se habeat ad illum; ab Ecclesia tamen praecipi potest: quia Ecclesia praecipere potest, ut actus externus honeste fiat. Ergo ut eam habeat honestatem. Hinc Ecclesiae Praelato supplicationes, eleemosynas, jejunia ad eum finem praecipiente, nimirum ut pax obtineatur; Ecclesiae praecepto non faceret satis qui jejunaret, eleemosynas erogaret ob alium finem licet bonum, cum non poneret totum id, quod lege praeciperetur.

Prop. II.

Potest Legislator Ecclesiasticus actus mere internos praecipere iis in casibus, in quibus ad salutem aeternam id opportunum esse judicaverit. Ita multi.

Prob. I. ex verbis Chriſti Domini, quibus animarum regimen ſuae Eccleſiae contulit. Inquit enim Chriſtus Petro, ejuſque ſucceſſoribus *Joan.* XXI. 17. *Paſce oves meas*: & *Matth.* XIV. *Quaecunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in caelis*. Atqui haec verba abſoluta & illimitata ſunt. Ergo ad ſolum exterius regimen reſtringi non debent; propterea quod Eccleſiae ſpiritualis poteſtas internum animarum regimen potiſſimum ſpectat.

Prob. II. ex praxi Eccleſiae, quae interiores actiones modo praeſcripſit, modo vetuit. Quod patet 1. ex Rom. Miſſalis Rubrica, in qua praecipitur, ut Sacerdos in SS. Sacramenti meditatione aliquantulum quieſcat: quae meditatio eſt quidem actus mere internus. 2. Ex *Michaëlis de Molinos* propoſitione *66.* ab *Innocentio* XI. proſcripta, quae ab Eccleſiae Paſtoribus regimen animarum interius auferebat: *Riſu digna eſt doctrina quaedam nova in Eccleſia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat per Epiſcopos .... quia Eccleſia non judicat de occultis*.

Dices: Eccleſia ea praecipere, aut vetare poteſt, de quibus judicandi poteſtatem habet. Sed Eccleſia de occultis animi moribus judicare nequit. Ergo neque de eiſdem ferre legem valet.

R. diſt. Min. Eccleſia non judicat de occultis judicio coactivo externo, quod fit cum

cum caussae recognitione, citatis testibus auditisque partibus, concedo; non judicat judicio directivo, vetando vel praecipiendo sub culpa a Deo punienda, quod non requirit transgressionis cognitionem, nego. Imo sunt qui docent, Ecclesiam judicare posse judicio coactivo interno, quod sub culpa & poena ipso facto ante judicis sententiam subeunda adstringat.

Q. *Num violans legem humanam, peccet tantum contra obedientiam, an etiam contra eam virtutem, ex cujus motivo lex aliquid praecipit?*

R. I. Legis humanae transgressor non solum peccat contra obedientiam, sed etiam contra illam virtutem, ex cujus motivo intrinseco lex aliquid praecipit. Quia lex humana potest actum specialis virtutis praecipere, cum ex dictis actus cujusque virtutis ad bonum commune sit ordinabilis. Quare subditus peccans contra legem, peccat contra illam virtutem, ad cujus actum ponendum a lege adstringitur.

Hinc qui plura Ecclesiae praecepta violat, puta Sacrum die festo non audiens, in Quadragesima non jejunans, semel in anno non confitens, non faciet satis, si in Confessione dicat, ter contra Ecclesiae praeceptum peccasse: sed exprimere debet diversas peccatorum species, prout diversis opponuntur virtutibus, quibus specialiter praecepti transgressio repugnat.

R. II. Si actus praecipiantur sub aliquo materiae motivo extrinseco, tunc si superior ex illo motivo extrinseco se velle obligare declaret; transgressor peccat contra eam virtutem, ex cujus motivo etiam extrinseco mandat legislator. Sic peccat contra Religionem qui parum cibi quantumvis tenuis ante Communionem fumat, cum id propter reverentiam in Eucharistiam ab Ecclesia interdictum sit. Quod si legislator hanc extrinsecam obligationem non imponat, tunc transgressionis malitia ex motivo tantum intrinseco desumitur. Sic qui non jejunat in vigilia alicujus Sancti, peccat tantum contra temperantiam, quae intrinseca praecepti ratio est; licet jejunium praecipiatur etiam ex motivo extrinseco Religionis ad honorem Sancti: sed quia Religionis obligatio non imponitur, ideo non jejunans in eam non peccat.

R. III. Quod si superior aliquid omnino indifferens praecipiat ad experiendam subditi obedientiam, tunc praecepti violator tantum contra obedientiam peccat.

CAP. VII.

CAP. VII.

De Quibusdam aliis conditionibus requisitis, ut lex humana obliget.

TRia heic inquiremus; legis nimirum promulgationem, acceptationem, & obligationem.

§. I.
Utrum necessaria sit Promulgatio, ut lex obliget.

Nota I. Legis Promulgatio est *publica legis denunciatio, seu publicatio nomine Principis facta, ut lex in notitiam subditorum perveniat.* Haec autem legis Publicatio vel voce fit praeconis, vel affixione legis scriptae in loco publico, vel alio simili modo juxta propriam cujusque Regni consuetudinem. *Promulgatae legis notitia, quae ad omnes, vel ad majorem subditorum partem extenditur, dicitur legis divulgatio.*

Nota II. Docent omnes, legem vim obligandi non habere, nisi sit sufficienter promulgata; nam lex per modum regulae aliis imponitur. Ergo ut lex virtutem

obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet, ut applicetur hominibus, qui secundum eam moderari se debeant. Hujusmodi autem applicatio fit per promulgationem. Promulgatio igitur necessaria est, ut lex obliget. Ita *D. Thomas* 1. 2. *q.* 90. *art.* 4.

Assero I. *Ut Leges Imperiales obligent in Provinciis, non sufficit promulgatio uno loco facta*, E. G. *in Curia Principis*, *nisi fiat in singulis Provinciis*.

Prob. Ex *Authentica* Ut Novae Constitutiones (quae est *Novella* 66. *Justiniani* §. sancimus) ubi Imperator sancit, *novas leges valere in urbe quidem Imperatoria, ex quo ibi in communi factae sunt manifestae: in provinciis vero, ex quo per Metropolitas palam factae fuerunt*. Nota, licet in textu hujus Authenticae agatur solum de legibus testamentariis., usus tamen invaluit, ut ceterae quoque leges similiter promulgari debeant in provinciis Imperio subjectis.

Idem dicendum de legibus aliorum Principum, & populorum Jure Caesareo utentium. In Regnis autem, & Principatibus jure Caesareo non utentibus propriae leges & consuetudines spectandae sunt.

Assero II. *Inspecta communi Ecclesiastici regiminis praxi & spiritu, Generales Ecclesiasticae leges non obligant, nisi fuerint in singulis Dioecesibus promulgatae*.

Prob.

Prob. I. Praxim promulgandi generales Ecclesiae leges prolixo sermone illustrat *Van-Espenius Jur. Eccl. de Promul. leg. Eccles. part.* 1. *cap.* 2. §. 2. incipiens a Concilio Nicaeno I. ad Tridentinum usque, in quo *sess.* XXIV. *cap.* 1. postquam declaratum fuit invalida esse Matrimonia clandestina, haec in fine decreti adduntur: *Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies haberi incipiat a die primae publicationis, in eadem Parochia factae, numerandos.* Id tamen *de singulis Parochiis* pro ea lege tantum praescriptum videtur. Cetera ecclesiastica monumenta vide penes laudatum Canonistam.

Dixi, *inspecta communi praxi*. Nam hodie Pontificia Decreta solent Romae tantum publicari per affixionem ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, aliaque consueta loca: qua publicatione facta, Pontificiae Constitutiones ubique terrarum adstringere fideles dicuntur, ac si personaliter significatae fuissent. Verum hujusmodi consuetudinem antiquis ignotam, antiquas leges promulgandi formae non praejudicare, nisi necessitas aliud postulet, contendunt multi.

Prob. II. Fideles institutione Christi spiritu caritatis & humilitatis dirigendi sunt, ajente Christo *Lucae* XXII. v. 25. *Reges gentium dominantur eorum . . . vos*

autem non ſic. Atqui nimis durum & imperioſum eſſet, obligare fideles ubique terrarum diſperſos, lege tantum in Romana Curia promulgata: fidelium conſcientias per incertos popularesque rumores terrefacere. Ergo aliena eſt a ſpiritu Eccleſiae haec nova forma promulgationis. Inſuper ſubditus ut ad legem adimplendam teneatur, debet eſſe moraliter certus de lege, & ejus auctore. Atqui legitimus hujuſce certitudinis comparandae modus ſunt proprii Epiſcopi, qui jus habent docendi fideles ſibi ſubditos de Eccleſiae praeceptis, ſicuti in regimine politico Provinciarum Praefecti ſunt legitimi legum Principis praecones. Ergo &c.

Prob. III. Lex ut obliget, certo innoteſcere non privatis, ſed Populo debet: Populo autem certo non innoteſcit, niſi per actum juridicum omnibus expoſitum. Atqui actus iſte juridicus non eſt niſi ſollemnis promulgatio. Ergo &c.

Verum in noſtro Regno ex antiqua conſuetudine Concordatorum lege firmata, uſus invaluit *Regii Placiti*, quo Reſcripta, Mandata, Brevia, Bullae, Conſtitutiones, aut quaecunque Literae exſecutioni traduntur. Quam praxim videns *Benedictus* XIV. exſecutionis Conſtitutionum Apoſtolicarum praeſidium eſſe ac munimen, non ſolum non vetuit, verum etiam in Articulis ſecretis ſapientiſſime paſſus eſt.

Q. Ex

Q. *Ex quo tempore lex sufficienter promulgata obligare incipiat?*

R. Leges Caesareas non obligare, nisi post duos menses a die promulgationis, ut patet ex *Authentica* supra cit. quod temporis spatium aliqui extendunt ad ceteras leges tum Civiles, tum Ecclesiasticas, quando legislatores ipsi nullum definiunt temporis intervallum. Verum probabilius videtur, legem absolute latam, & consueto ritu promulgatam, statim obligare, omnesque ejusdem observationi adstrictos esse, cum primum illam certo agnoverint.

§. II.

An ut leges obligent, requiratur populi Acceptatio.

Prop. Unica.

Lex humana juste ac legitime promulgata a populi Acceptatione & consensu non pendet.

Prob. Si lex humana a populi acceptatione & consensu penderet, potestas legislativa non penes principem, sed penes populum foret. Atqui hoc falsum. Ergo & consequens. Nam princeps aliam potestatem non haberet, nisi materiam legis subditis proponendi: subditi vero acceptatione & consensu vim obligandi, in qua essentia legis consistit, legi tribuerent. Merito igitur proscripta fuit ab *Alexandro* VII. sequens Propositio: *Populus non peccat,*

cat, etiamsi absque ulla caussa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Ex dictis colliges, peccare eos, qui sine justa caussa legi promulgatae resistunt, cum legitimae potestati obluctentur: non peccant tamen 1. si legis exsecutionem differant, dummodo Principi repraesentent incommoda ex lege secutura. 2. Si princeps conscius de inobservantia legis, non instat pro ejus observantia, cum facile possit; quia videtur tacite consentire, ut lex non servetur. 3. Denique Canonistae, inter quos *Cowarruvias*, docent *legem vim nullam obtinere, si ab initio rejecta fuerit a subditis. Nam maxime*, ait laudatus Auctor, *praesumendum est, eam legem, quae a Rep. non recipitur, ei non convenire.*

§. III.
De Humanae Legis Obligatione.

Communiter docent Theologi inseparabilem a vera lege esse obligationem aut ad culpam, aut ad poenam; alioqui non esset lex, sed consilium. Heic autem disputari potest, quanta sit legis obligatio, & unde colligenda.

Prop. I.

Lex humana graviter & sub mortali subditos adstringit, quoties ejus materia gravis sit, & graviter praecepta.

Prob. I. Quando materia legis gravis est,

est, & graviter praecepta, nihil deest, quin lex gravem inducat obligationem: non materiae capacitas, quam supponimus saltem in circumstantiis gravem esse; non intentio legislatoris, quae capacitati materiae se accommodare censetur, nisi oppositum declaret.

Prob. II. Lex humana divinam imitatur legem, quae graviter obligat in materia gravi, leviter in materia levi. Ergo &c. Porro gravitas materiae non tam spectanda est ex conditione actus secundum se, quam ex gravitate motivi seu finis, qui per se intenditur a legislatore, & ad quem ratione circumstantiarum graviter conducere potest. Hoc patet ex comestione pomi in Paradiso, quae secundum se erat levis. Item ex viri ingressu in claustra Monialium, qui secundum se levis res est: quia tamen conducere potest ad gravia mala avertenda, materia gravis est, & sub excommunicatione prohibita.

Insuper materia censetur graviter praecepta, 1. quando haec vel similia verba adduntur. *In virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini judicii stricte praecipimus &c.* 2. Quando gravis apponitur poena, qualis est excommunicatio, depositio, poena mortis, exilii, carceris perpetui &c. Nam poena gravis juste non imponitur, nisi pro gravi culpa, quae gravem violati praecepti obligationem supponit.

nit. 3. Spectandum, quibus verbis utatur legislator. Quaedam enim verba solam directionem, & consilium significant, ut sunt hae voces: *monemus*, *hortamur*. Alia autem strictum praeceptum produnt; qualia sunt: *praecipimus*, *prohibemus*, *teneantur omnes*: Quae quidem gravem continere videntur obligationem, quando de materiae gravitate constat, & aliunde non apparet contraria legislatoris intentio. 4. Demum ex communi piorum, & prudentum judicio, vel ex consuetudine, quae est optima legum interpres.

Prop. II.

Materia quae sit omnino levis, nequit sub gravi culpa a legislatore praescribi; neque si omni ex parte gravis sit, sub levi obligatione imperari aut prohiberi potest.

Prob. Recta ratio exigit, ut gravitas vel levitas obligationis materiae gravitati vel levitati correspondeat. Ergo nequit res usquequaque levis sub gravi culpa praescribi; neque res omni ex parte gravis sub levi obligatione imperari.

Praeterea legem condere a legislatoris voluntate pendet; legis vero obligatio non a legislatore, sed ab ipsa lege fluit. Ergo legislator juxta materiae gravitatem vel levitatem temperare obligationem debet.

Dixi 1. *omnino levis*: nam si comparata ad aliquem finem, gravem aliquam induat circumstantiam, tum sub gravi cul-

pa

pa a legislatore prohiberi potest.

Dixi 2. *omni ex parte gravis:* nam si materia aliunde gravis ob aliquam circumstantiam postulet obligationem levem, tum legislator sub levi praescribere materiam gravem poterit. Hinc multitudo Constitutionum in quibusdam Ordinibus Regularibus caussa fuit, ut res de se graves, velut perpetua a carnibus abstinentia, septem mensium jejunia, sub levi culpa praescriberentur. Gravitas enim vel levitas materiae ex ordine ad bonum commune consideranda est, & prout magis aut minus bono communi conducit, graviore aut leviore obligatione praescribi a legislatore debet.

Prop. III.

Lex humana communiter non obligat cum periculo vitae, aut gravis incommodi.

Prob. Lex divina positiva, quae ex genere suo strictius obligat, non solet in tali periculo obligare, ut patet exemplo Davidis, quem Christus Dominus *Matth.* XII. excusat, quod urgente necessitate panes comederit propositionis, quos edere non licebat, nisi solis Sacerdotibus. Idem patet in praecepto faciendi Confessionem materialiter integram.

Hinc ex praxi Ecclesiae, & communi Doctorum sensu nemo tenetur ad jejunandum, audiendam Missam, recitandas horas canonicas &c. cum gravi periculo valetu-

letudinis, aut alterius notabilis incommodi.

Dixi, *communiter non obligat*. Nam 1. aliquando *per accidens* lex humana obligat cum vitae periculo, quando ſcilicet omitti non poteſt ſine legitimae poteſtatis, vel Religionis contemtu, aut ſcandalo gravi. Vide *cap.* VII. *lib.* 2. *Machab.* ubi Machabaei mori potius elegerunt, quam vetitas carnes in Moſaicae legis contemtum manducare.

2. Obligat *per ſe*. Quaevis enim perfecta communitas ſive Eccleſiaſtica, ſive civilis poteſtatem habet praecipiendi actus ad ſui conſervationem neceſſarios. Atqui actiones, quae adnexum habent vitae periculum, ſunt aliquando graviter neceſſariae ad communitatis conſervationem. Ergo eas communitas praecipere poteſt. Quid enim aequius, ut pars periculo objiciatur pro ſalute totius?

Hinc Epiſcopus Parocho praecipere poteſt, ne tempore peſtis oves deſerat: dux militi, ne loco cedat; ut in hoſtes irruat cum certo mortis periculo. Neque dici poteſt, obligationem in his caſibus eſſe a lege naturali immediate; quia lex naturae non obligat hos potius, quam illos.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

De Humanae Legis Subjecto.

Q. I. *Quaenam personae humanis legibus subjiciantur?*

R. Omnes, & soli adulti subditi.

Prob. 1. pars de adultis omnibus, iis saltem, qui non sunt habitualiter amentes: Lex subditis imponitur per modum directionis, & obedientiae. Atqui soli adulti habitualiter non amentes, sunt directionis, & obedientiae capaces. Ergo &c.

Prob. 2. pars de subditis. Potestas enim praecipiendi necessario supponit subjectionem in aliis. Ergo adulti nisi sint subditi, legibus ligari non possunt.

Hinc I. infantes ante usum rationis, & perpetuo amentes legibus humanis non obligantur. Unde non est illicitum per se loquendo, & secluso scandalo, dare illis carnes comedendas in Quadragesima, a Missa audienda retrahere diebus festis, &c. Secus vero eos excitare ad iram, blasphemiam, libidinem; nam cum hae actiones sint intrinsece malae, est omnino illicitum parvuli vel amentis uti opera, tanquam instrumento ad actiones ex objecto suo deformes.

II. Pue-

II. Pueri, illucente rationis lumine, quod praeſumitur circa annum VII. advenire, tenentur legibus humanis, quarum materia eorum aetati congruit; adeoque jam tum ad Miſſae auditionem, abſtinentiam a carnibus, Confeſſionem annuam &c. obligantur.

III. Ebrii, & ad breve tempus delirantes tenentur legibus; quia hi ſunt in ſtatu habitualis uſus rationis, licet per accidens impediti. Unde non licet eis dare carnes tempore vetito, etiam exſiſtentibus in actuali ebrietate, & amentia. Idem eſt de illis, qui non univerſaliter, ſed tantum in quibuſdam deſipiunt.

IV. Exemti a jurisdictione legislatoris non obligantur illius legibus, & vi illarum, ſi in ejus territorio habitent; nam eo ipſo, quod a juriſdictione eximuntur, non ſunt ſubditi in eo, a quo eximuntur. Unde Religioſi exemti Epiſcoporum legibus, & ſtatutis ſynodalibus tenentur quod ad ea, quae expreſſe ſtatuta ſunt in Tridentino, & alibi, puta quod ad feſta ab Epiſcopo praeſcripta: Item cenſuras, & interdicta ab eodem promulgata, & publicanda in propriis Eccleſiis, ſi ipſe mandaverit. Extra caſus autem a jure expreſſos non tenentur ſtatutis Epiſcoporum, niſi ex quadam aequitate & decentia quod ad ea, quae illorum exemtioni & privilegiis non repugnant.

Q. II.

Q. II. *An legislator suis legibus obligetur?*

R. Princeps absolutus, nempe qui solus independenter ab aliis legem condere potest, vi directiva servare leges a se latas adstringitur; secus vi coactiva.

Prob. 1. pars. Recta ratio exigit, ut Princeps, qui communitatis est caput, communitati tanquam membris se conformet in iis, quae aeque ipsi, ac aliis conveniunt. *Nam turpis omnis pars est, suo universo non congruens*, ait *Augustinus lib. 3. Confess. cap. 8.*

Num autem legislator, secluso scandalo, & subditorum damno, teneatur ad suam legem sub gravi, an sub levi, disputant Theologi. Sub gravi aeque ac suos subditos teneri, docent multi. Imo afferunt ejus peccatum esse ejusdem speciei, ac peccatum subditi eam legem violantis. Unde colligunt ipsum summum Pontificem mortaliter peccare, nisi recitet horas Canonicas, audiat Sacrum, jejunia servet &c. Omnes tamen fatentur, ad servandam aequalitatem teneri Principes leges servare, rerum pretia taxantes, vel leges aliquem contractum irritantes. Repugnat enim juri naturae, ut una contrahentium pars legi subjecta sit, minime vero altera.

Prob. 2. pars quod ad vim coactivam, & poenam. Nam 1. judicium coactivum sive condemnationis exercetur a superiore erga sub-

subditum invitum. Atqui legislator non potest esse sui ipsius superior, & invitus. Ergo &c.

2. Quia legislator ad suam legem obligatur jure naturae praecipiente actus ab humana lege praescriptos. At contra: Poena fluit a lege positiva, cui legislator proprie non est subjectus. Ergo &c. *Princeps enim dicitur esse solutus a lege* teste *D. Thoma* 1. 2. *q. 96. art. 6. ad 3. quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud Ps.* 50. Tibi soli peccavi &c. *dicit Glossa (Ord. Cassiod.) quod Rex non habet hominem, qui sua facta dijudicat.*

Hinc resolves, Episcopum qui sub censura Clericis prohibuit alearum ludum, peccare quidem, si aleis ludat; censuram vero, quam aliis indixit, non incurrere.

Dixi, *Princeps absolutus, nempe qui independenter &c.* Nam Princeps non absolutus, qualis est Dux in senatu, Metropolita in Concilio Provinciali, tenetur legibus, quas una cum communitate, aut praecipua ejus parte sanxit: omnes enim sunt partes illius corporis, & singuli toti sunt subjectae.

Q. III. *An Clerici legibus civilibus parere teneantur?*

R. Affir. Salvo exemtionis privilegio. Quia sunt Reip. membra, & veri cives. *Omnis anima potestatibus sublimioribus*

bus subdita sit, generaliter dixit Apostolus *ad Rom.* III. quod testimonium sic exponit *Theodoretus: Et Sacerdos, & Antistes, & monasticam vitam professus iis debent parere, quibus demandati sunt principatus.*

Dixi, *salvo exemtionis privilegio*. Nam & Principes ipsi Immunem in pluribus Clerum ratione suadente, & Religione ac pietate suffragante voluerunt, & Ecclesiae Canones sanciverunt: & Concilium Tridentinum hoc sensu *Sess.* XXV. *de Format. cap.* 20. ait: *Immunitas Ecclesiae, & personarum Ecclesiasticarum Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus constituta est.* Verum haec Immunitas alicubi major, alicubi minor, ideo quisque suae patriae debet consulere consuetudinem.

Q. IV. *An peregrini legibus sui Territorii teneantur, manentes ubi illae non obligant?*

Nota. Peregrinus dicitur qui a loco proprii domicilii recedit redeundi animo. Vagus nullibi sedem habet fixam. Advena, & Forensis in uno loco domicilium habet, in alio habitat.

R. Peregrini, & advenae legibus proprii territorii, a quo absque fraude absunt, subjecti non sunt; nisi legis transgressio censeatur moraliter facta intra illud.

Prob. *ex cap.* Ut Animarum *de Constit.*

ſtit. in 6. ubi *Bonifacius* VIII. decernit excommunicationem ab Epiſcopo latam contra fures non incurri ab ejus ſubdito furante extra dioeceſim, *cum extra Territorium jus dicenti non pareatur impune.* Leges enim, & conſuetudines locales reſpiciunt territorium, eique ſunt affixae, ideoque non obligant, niſi exſiſtentes in illo. Hinc ſi in loco proprii territorii ſit feſtum, aut jejunium, & non in alio, in quo moraris, non teneris ad illud.

Dixi 1. *a quo abſque fraude abſunt.* Nam a legis obligatione immunis non eſt qui a loco domicilii, in quo ſcilicet indictum eſt feſtum, aut jejunium, in alium migrat, ut ſubterfugiat obligationem; quia nemini ſua fraus debet patrocinari, ut habetur *cap.* Ex tenore *de Reſcriptis.* Patrocinaretur autem iſtis fraus, & quidem manifeſta, ſi animo ſe eximendi a legum obſervantia eo ſe transferrent, ubi leges non ſunt. Hinc non valet Matrimonium clandeſtine celebratum in loco, ubi lex Tridentini promulgata non fuit; ab eo, qui illuc eo animo devenit, ut ſine mutatione domicilii illud clandeſtine celebraret, ut conſtat ex Brevi *Urbani* VIII. *ad Archiepiſcopum Colonienſem.*

Neque dicas, ſic abeuntem uti jure ſuo. Nemo enim jus habet fugâ eludendi leges.

Dixi 2. *niſi legis tranſgreſſio cenſea-*

tur

tur moraliter facta intra illud, ut est venditio armorum, vel aliarum rerum propriae communitatis hostibus. Actio enim quae Territorio damnum infert, in ipso censetur moraliter peragi. Ac proinde puniri potest subditus violans legem prohibentem actionem ubivis factam, quae specialiter in damnum communitatis cedit.

Q. V. *Num qui discedit a loco ubi est festum, ad locum ubi non est, teneatur ante discessum Sacrum audire?*

R. Affir. Si possit absque gravi incommodo: Quia praeceptum quod actu obligat, actu impleri debet, si possit. Idem dicendum de jejuniis, & aliis praeceptis; quae servari debent, usque dum quis moratur in locis, ubi praecepta vigent.

Q. VI. *An peregrini teneantur legibus locorum, in quibus versantur?*

R. Affir. sive leges propriae sint, & particulares ipsius loci, sive sint juris communis: sed quae ex privilegio, aut consuetudine non servantur in proprio territorio; idque etiam, dum ibi sunt tantum veluti in transitu.

Prob. In legislatore sufficiens est potestas obligandi peregrinos, quamdiu in ejus territorio versantur; cum id tranquillitati, ordini, & paci regiminis politici expediat. Ergo de facto censendus est velle illos obligare, cum id conducat ad bo-

nam gubernationem territorii. Hinc vere puniri possunt peregrini a judice loci, si ibi peccent: & quod ad contractus legibus loci tenentur se conformare. Ex quo eruitur, eos legibus loci in quo versantur, absolute teneri.

Insuper peregrini non sunt subjecti propriae Patriae legibus, dum alibi versantur. Ergo ne sint exleges respectu civilis, & ecclesiastici Regiminis, legibus locorum per quae transeunt, subjiciantur oportet. Hinc *S. Ambrosius* apud *Augustinum ep.98.* ajebat: *Cum Romam venio, Sabbathum jejuno: cum Mediolani sum, non jejuno. Sic & tu ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva.*

Nota, advenas, & peregrinos eas servare locorum leges debere, quarum observantia non majorem temporis longitudinem, quo ibidem commorantur, postulat. Nec enim ibidem diutius manere adstringuntur, ut implere leges valeant. Sic qui transiens per locum ubi dies festus agitur, recta pergeret ad locum ubi dies festus non est, intercipere iter non teneretur, ut ibi Sacrum audiret. Imo si ibi commorari tantum deberet, ut cibum sumeret, aut equo pabulum praeberet, Sacro interesse non adstringeretur. Teneretur vero adesse Sacro, si eodem in loco pernoctasset, aut festum in toto territorio ageretur, quod ad meridiem usque deberet percurrere.

CAP.IX.

CAP. IX.

De Modo, quo Leges seu Praecepta observanda sunt.

Nota: Legis praecepta alia *Negativa* sunt, *Positiva* alia: Illa per cessationem ab opere vetito, *non furaberis, non moechaberis* &c. Haec per operis exsecutionem, seu per actus positivos implentur.

Q. I. *Quaenam intentio requiratur, ut praecepto satisfiat?*

R. I. Ut praecepto negativo satisfiat, nulla requiritur intentio. Quia eo praecepto non praecipitur actus, ut omissio humana seu libera; sed solum vetatur actus i. e. nequis volens sciensque furetur, fornicetur. Quadere si quis etiam coactus, non furetur, non mentiatur, non fornicetur, praecepta implet: licet, ut observatio praecepti etiam negativi sit meritoria, positiva requiratur intentio illud implendi ex aliquo motivo honesto.

R. II. Ut satisfiat praecepto positivo, non requiritur expressa satisfaciendi intentio; sed sufficit implicita vel interpretativa, contenta in voluntate faciendi actum

 prae-

praeceptum: quae voluntatem non excludit legem exsequendi.

Prob. Quia sine ulla intentione haberi possunt omnia, quae necessaria sunt, ut actus ponantur in sua specie morali; neque agens ad aliud a lege obligatur. Id conceptis verbis docet *D. Thomas* 2. 2. *q.* 104. *art.* 3. *ad* 2. *Licet actus virtutis cadat sub praecepto, potest tamen aliquis implere actum virtutis, non attendendo ad rationem praecepti*. Hinc qui religiose Sacro adfuit, nesciens diem festum esse, & consequenter sine intentione praecepto satisfaciendi; nihilominus satisfecit, neque aliud Sacrum audire tenetur.

Immo juxta multos idem dicendum de eo, qui Sacro adest cum expressa intentione praecepto non satisfaciendi, nisi alii Sacro intersit: eo quod substantiam operis praecepti is quoque posuerit. Hoc etiam extendunt aliqui ad votum, quo quis E. G. ad Sacrum audiendum se obligavit, ut nimirum voto satisfiat, licet Sacrum audiatur cum expressa intentione voto non satisfaciendi. Ita multi. Verum communius cum aliis dicendum est, voto non satisfieri; cum legem inter, & votum hac de caussa discrimen intercedat. Quemadmodum enim potest aliquis propria voluntate sibi voti obligationem imponere, ita & in illa permanere: adeo ut virtualiter novum votum facere, aut primum renovare videatur. Q. II.

Q. II. *Num intendi debeat finis legis, ut illi satisfiat?*

Nota. Finis legis alius *intrinsecus* est, remque ipsam praeceptam significat: ut jejunium. Alius *extrinsecus*, idque denotat, in quod legislator rem dirigit praeceptam: ut corporis maceratio per jejunium intenta.

R. I. Sine fine intrinseco legis praeceptum non adimpleri; cum res praecepto sine eo consistere nequeat.

R. II. Sine fine extrinseco satisfieri praecepto, cum sine eo habeatur substantia operis praecepti. Hinc jejunii praecepto facit satis qui unicam ex cibis licitis sumit comestionem, licet non intendat corpus macerare; cum ab Ecclesia haec intentio non praecipiatur.

Excipitur casus, quo legislator finem suum expresse praescriberet a subdito intendendum, propterea quod finis extrinsecus rationem rei praeceptae indueret. Hinc si Praelatus ad calamitatem avertendam jejunia, precesque praescribat, adstringuntur subditi superioris voluntati se conformare.

Q. III. *Num praecepto satisfaciat qui illius opus exsequitur ex fine vel circumstantia mala?*

R. I. Si circumstantia vel finis substantiam actus praecepti inficiat, praeceptum non impleri; cum totum id quod a lege praecipitur, non ponatur. Hinc qui studio visendae amasiae ad Sacrum audiendum per-

git, corrumpit ſubſtantiam actus, cum non Religionis officium, ſed libidinis explendae flagitium exerceat; proindeque audiendi Sacri non ſatisfacit praecepto, cujus finis eſt Religionis obſequium Deo praeſtandum. Ita *Concina* cum antiquis Theologis contra Recentiores.

R. II. Praeceptum adimpleri, ſi circumſtantia opus praeceptum non corrumpat, ſed actum praeceptum comitetur, & operantem potius, quam praeſcriptum opus polluat. Hinc qui ex Religionis motivo attento animo Sacro aſſiſtit, ſed extrinſece a vana gloria movetur, Eccleſiae praecepto ſatisfacit; cum libere ponat actum praeceptum ex proprio motivo finali: nec venialia iſthaec ſubſtantiam actus inficiunt ex motivo Religionis praeſtito.

Q. IV. *An unico actu plura praecepta impleri poſſint?*

R. I. Non poſſe, niſi eam eſſe conſtet intentionem praecipientis. Quia ſuperior cum aliquid praecipit, cenſetur aliud quam quod debitum eſt, velle exigere. Hinc poenitens per jejunium ex praecepto Eccleſiae, vel voto debitum, Confeſſarii praecepto non facit ſatis in culparum poenitentiam jejunium imponentis. Quia Confeſſarius, niſi aliud exprimat, cenſetur ex novo rationis momento, ex motivo nimirum poenitentiae ad opus alias non debitum poenitentem obligare. Idem dicendum

de

de justitiae praeceptis. Certum est enim praeceptum solvendi 100. aureos ex contractu, & 100. aureos ex furto debitos restituendi, aliquem unico actu implere non posse.

Quod si prudenter existimetur, eam legislatoris intentionem esse, ut unico actu duplici praecepto fiat satis; nullum tunc erit dubium, quin uno actu hujusmodi praecepta impleantur. Hinc si Confessarius poenitentem jubeat singulis diebus per mensem Sacro interesse, etiam dies festos comprehendi dicendum est.

R. II. Plura praecepta, quae eâdem die super eandem materiam occurrunt, ex eodem motivo unico actu impleri posse. Sic eâdem Missae auditione fit satis diei Dominicae praecepto, & praecepto alterius Sancti eâdem die occurrentis.

Q. V. *Num eodem tempore satisfieri possit diversis praeceptis?*

R. Affir. Quando praecepta eodem recidunt, adeo ut unus actus alterum non impediat, neque attentio uni debita alteram tollat. Sic vales eodem tempore adesse Sacro, & horas canonicas persolvere, vel poenitentiam a Confessario impositam agere. Secus dicendum de eo, qui die festo praescriptam Missam audire intendit, cum sua peccata confitetur.

Q. VI. *Quid si duo concurrant praecepta, quae simul servari nequeunt?*

R. Per se loquendo majus servandum

 esse

eſſe praeceptum, cum minori praevaleat, & gravius obliget. Hinc praeceptum naturale praeferri debet voluntario ſive poſitivo: voluntarium divinum humano: mandatum ſupremi Principis praecepto ſuperioris inferioris: eminentioris virtutis praeceptum praecepto virtutis inferioris: & tandem negativum affirmativo; quia praeceptum negativum ſemper & pro omni tempore obligat, *nec facienda ſunt mala, ut eveniant bona. Ad Rom.* III.

CAP. X.

De Lege Poenali, & Irritante.

§. I.
De Lege Irritante.

PErfectae legis partes duae ſunt; *Praeceptum, & Sanctio Poenalis*. Illud quid faciendum omittendumque ſit, docet: Haec quid mali immineat, ſi praecepto non pareatur. *D. Thomas* 1. 2. *q.* 96. *art.*4.

Lex autem aliquando poenam poſitivam non decernit, ſed actum contra legem ſuſceptum irritum pronunciat, & in jure *imperfecta* dicitur. De qua infra.

Triplex porro diſtinguitur lex a Theologis; *Moralis*, quae conſcientiam adſtringit, nullâ inflictâ tranſgreſſoribus poenâ: *Poe-*

Poenalis, quae poenam imponit, & duplex est: altera *Simplex* seu *pure poenalis*, quae nullo imposito praecepto, poenam duntaxat subeundam decernit: altera *mixte poenalis*, quae praeceptum & poenam includit. His positis, duo hîc inquirenda sunt, 1. an condi lex possit pure poenalis, quae nullatenus obliget in conscientia. 2. An eadem lex simul & sub poena, & sub culpa obligare possit.

Assero I. *Lex mere poenalis quae ad culpam non obligat, non est vera seu perfecta lex.*

Prob. I. De ratione legis est, ut sit norma, ad quam subditorum rationes debeant conformari. Ergo necessario supponit praeceptum, ad cujus observantiam additur poena.

Prob. II. Poena, & delictum sunt correlata. Ergo poena legis violationem necessario supponit. *Omnis poena, si justa est, peccati poena est, & peccatum nominatur*, ait *Augustinus lib. 1. Retract. cap.* 9. Ideoque lex mere poenalis aut saltem virtualiter supponit praeceptum, cujus violatio peccatum est, aut non est vera lex.

Hinc quaedam Monachorum statuta, quae expresse ad culpam non obligant, sed ad solam poenam, verae leges non sunt, sed directiones quaedam, quae monasticam promovent disciplinam.

Assero II. *Lex mixte poenalis, quae sci-*

scilicet praecipit, adjecta poena, obligat in conscientia.

Prob. Lex praeceptiva obligat in conscientia. Nam *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, ut supra ex Apostolo retulimus. Ergo si legislator ultra praeceptum adjiciat poenam, videtur poenae impositione subditos suos velle gravius obligare. Poena enim praecepto apposita obligationem non tollit, sed confirmat.

Ex his colliges I. quorundam Recentiorum sententiam rejiciendam esse, qui nullam legem poenalem sive ecclesiasticam, sive civilem, quae poenas infligit temporales, in conscientia obligare contendunt: neque etiam peccare subditum ob periculum subeundi poenam aliquanto graviorem, triremis scilicet, amissionis magnae partis bonorum &c. Potest enim aliquis adeo caute legem transgredi, ut nullum adsit periculum, quin deprehendatur. Haec Recentiorum doctrina quam rectae rationi, potestati Principum, ac Reip. tranquillitati repugnet, nemo non videt.

Colliges II. graviter eos peccare, qui leges violant vetantes sub poena exilii, perpetui carceris, infamiae &c. ne aliquae merces introducantur, aut extrahantur. Hi enim non modo in caritatem sibi debitam peccant, cum infamiae, aut triremis periculo se exponant; verum etiam quod legem violant poenalem, quae sub culpa obligat.

Q. I. *An teneatur judex poenas a lege taxatas reo applicare?*

R. Affir. Si sermo sit de judice inferiore, seu de Principis ministro. Quia judex inferior ex officio justitiam administrare tenetur non suo arbitratu, sed secundum leges. *Misericordia judicis*, ait *D. Thomas* 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. *habet locum in his, quae arbitrio judicis relinquuntur, in quibus boni viri est, ut sit diminutivus poenarum . . . . in his autem quae sunt determinata secundum legem divinam vel humanam, non est suum misericordiam facere*. Potest tamen aliquo in casu spiritum potius legis, quam verba sectando, poenarum saevitiem pia interpretatione temperare. Item mitius agendum, si crimen etsi probabilius, non satis sit probatum. Nam in obscuris favorabiliores rei potius, quam actores habendi sunt ex *l.* 167. *ff. de reg. juris*. Et sane longe minus peccat qui crimen relinquit inultum, quam qui morti innocentem addicit.

Dixi, *judex inferior*. Nam *Princeps qui habet plenariam potestatem in Rep. si ille qui passus est injuriam, velit eam dimittere, poterit licite absolvere, si hoc publicae utilitati viderit non esse nocivum*. Ita *D. Thomas* loc. laud.

Q. II. *Num lex poenalis obliget, ut ante judicis sententiam poena subeatur?*

Nota I. Poena alia *latae sententiae*

est, quae per legem statuitur facto ipso, sive in ipsa culpae admissione incurrenda: alia *ferendae sententiae*, quae statuitur per judicem infligenda.

Nota II. Sententia autem judicis heic similiter duplex est: una *condemnatoria*, per quam reus ad certam poenam damnatur; alia *criminis declaratoria*, qua juridice in culpam, propter quam poena lege debetur, declaratur incurrisse.

Nota III. Latae sententiae poenae aliae sunt mere *punitivae*, quae ut exsecutioni tradantur, actionem non requirunt; ut esse suspensum, excommunicatum &c. *Positivae* aliae, quae aliquam requirunt actionem; ut pecuniae solutio, beneficii resignatio &c. His praenotatis,

R. I. Quando poena est mere privativa, si verbis latae sententiae poenam aperte significantibus feratur, ante omnem sententiam etiam declaratoriam facto ipso incurritur; ut patet in excommunicatione latae sententiae. Item in suspensione, irregularitate, quae ex omnium sensu ante omnem judicis sententiam incurruntur. Ratio est, quia potest reipsa legislator hujusmodi poenas infligere ante judicis sententiam subeundas. Quoties igitur in sua lege declarat, reum ejusmodi poenis ipso facto obnoxium fore, easdem ille perferre revera tenetur. Idem & de aliis privativis poenis est sermo, E. G. privatione vocis

acti-

activae & passivae &c. Excipe, nisi caussa gravis excuset: ut si spectatis humanis moribus, nimis gravis poena censeatur; aut si ex legis observantia grave damnum sequatur, E. G. mortis periculum, gravis infamia; aut alia hujusmodi moralem impossibilitatem afferentia. Leges enim humanae hisce in casibus non obligant.

R. II. Si lex adeo expressa verba non habeat, sed tantum dicat, *facto ipso*, *ipso jure*, *ex tunc privari* &c. poena mere privativa est: neque ante declaratoriam sententiam obligat, cum actio delinquentis requiratur, qua jure aliquo jam acquisito se privet. Ita multi. Nimis enim durum esset, homines non auditos bonis suis jam acquisitis se se sponte sua privare. Hinc beneficii privatio juste possessi suum non sortitur effectum, nisi post sententiam declarativam. Quapropter confidentiales Simoniaci beneficiis ante obtentis non privantur, licet *Pius* IV. in sua *Constitutione* ipso facto iisdem beneficiis eos privet.

Dices: Quidnam ergo discriminis est inter latae, & ferendae sententiae poenas, cum ambo exsecutioni non demandentur, nisi post sententiam judicis?

R. Inter utrumque poenarum genus magnum interesse discrimen. Quando enim poena ferendae sententiae est, lex judici remittit, ut super poenarum qualitate & quantitate sententiam ferat. Quando vero

lex

lex poenas decernit ipso facto incurrendas, lex ipsa per se reum punit, ac bonis privat sub ea tamen conditione, ut declaretur crimen, ob quod poenae subeundae sunt: quo declarato, reo poenae ipso facto sunt perferendae. Haec autem judicis sententia retrotrahitur, & ad diem usque commissi criminis extenditur: ita ut bonorum alienationes quae crimen subsecutae sunt, irritari ac rescindi queant.

R. III. Poenae, quae jure aliquo acquisito non privant, sed inhabiles declarant homines ad aliqua bona seu jura adipiscenda, ante quamcunque judicis sententiam incurruntur. Ita omnes. Nam hae propriae poenae non sunt, sed impedimenta a legislatore ad bonum commune juste praescripta. Hinc Beneficiarius, qui divinum officium non recitat, poenam incurrit restitutionis fructuum pro rata ante omnem judicis sententiam. Similiter non expectata judicis sententia, Simoniacus realis beneficium dimittere debet, & fructus restituere.

Q. III. *Quomodo teneatur reus poenam subire post judicis sententiam?*

R. I. Reus, non expectata justitiae exsecutione, luere poenas debet, quas ipse propria actione sine ulla feritatis nota exercere potest. Hujusmodi sunt jejunia, disciplinae, exilium, & similia. Tenetur quoque multas pecuniarias solvere, minime

me vero antequam exigantur.

R. II. Poenas, quas sibi reus propriis manibus infligere nequit, ut supplicium mortis, mutilationis &c. tenetur subire sine resistentia: imo per seipsum quasdam exsequi actiones, quae a justitiae ministris commode fieri nequeunt; ut ad supplicii locum ire, conscendere scalas &c. Non licet tamen poenam mortis, vel mutilationis per seipsum exsequi, quod esset seipsum directe occidere. Hinc contra *Lessium*, *Vasquez*, aliosque nequit reus licite ex judicis sententia seipsum necare, veneno scienter hausto, aut venae incisione.

Q. IV. *Num ignorantia excuset a poena?*

R. I. Omnis ignorantia, quae a culpa excusat, eximit etiam a poena. Poena enim saltem proprie dicta culpam supponit. Unde qui ex ignorantia inculpabili legem non servavit, subire poenam in conscientia non tenetur. Quin imo si a judice condemnetur, propterea quod inculpabilem suam ignorantiam probare nequeat; potest eripere se poenae, modo id sine scandalo fiat.

R. II. Ignorantia excusans a gravi culpa, licet a veniali culpa non excuset; liberat tamen a gravi legis poena, non vero a levi, eo quod poena commensuranda sit culpae.

R. III. Ignorantia, quae non excusat a cul-

a culpa gravi, regulariter non excusat a poena; quia ignorantia haec, culpa non obstante, sufficienter volontaria est, ac justa punitione digna.

Dixi, *regulariter*. Quia si in lege dicatur: *scienter*, *temere*, *praesumtuose* &c. tum legis scientia, aut affectata ignorantia requiritur; cum nolit legislator hisce clausulis legis transgressionem puniri, nisi eum malitiae modum habeat, ut scilicet ex certa scientia & temeritate fiat.

R. IV. Invincibilis solius poenae ignorantia non excusat a poena, quae saltem non sit censura. Ignorantia enim solius poenae non excusat a culpa. Ergo neque excusat a poena, cum ea propter culpam a lege statuta sit.

Dixi, *quae saltem non sit censura*. Quia poena censurae ab aliis differt poenis ab utroque foro latis: quae quidem, cum lex nota sit, contrahuntur, etiamsi ignorentur. E contrario ad contrahendam censuram cum contumacia requiratur, eâ caret qui censuram prorsus ignorat.

Q. V. *Num invincibilis humanae legis ignorantia excuset a poena, si haec ob malitiam, quam actus habet antecedenter ad legem humanam, imposita sit, quia scilicet naturali etiam lege prohibitus est?*

R. Neg. regulariter loquendo. Legislator enim non suae tantum, verum etiam divinae legis transgressionem punire intendit.

dit. Hinc qui hominem occideret, invincibiliter ignorans hoc esse humana lege prohibitum; propterea non excusaretur a poena. Quia homicidium licet humana lege non prohiberetur, est tamen satis naturali lege prohibitum, ac poena dignum.

Dixi, *regulariter loquendo*. Ab hac enim regula excipiuntur censurae, quas minime incurrunt qui Ecclesiae legem inculpabiliter ignorant.

§. II.
De lege Irritante.

Nota I. Lex Irritans ea dicitur, *quae non solum actus prohibet, sed & nullos reddit ac declarat*. Certum est enim apud omnes, legislatores non solum vetare posse, sed & nullos efficere actus illos, quos bono communi repugnare judicaverint.

Nota II. Irritatio autem multiplex est: alia quae *facto ipso* & ante judicis sententiam nullos efficit contractus; ut sunt Professio Religiosa, ante legitimam aetatem emissa, matrimonia clandestina, vel intra gradus prohibitos inita. Alia quae *futuram praescribit irritationem*, actusque non nisi post judicis sententiam nullus est; ut est contractus, in quo intervenit justi pretii ultra medietatem receptio: qui quidem tamdiu valet, donec judex irritum

ritum fecerit. Prima irritatio exprimi solet hisce formulis: *sit ipso facto nullus, inanis, infectus:* Altera hisce aliis formulis: *si hoc modo fiat, irritetur, abrogetur, rescindatur.*

Lex porro irritans alia *explicita* est, quae conceptis verbis actum ipso facto nullum, inanem, irritum declarat. Alia *implicita*, quae non explicitis, sed aequipollentibus verbis declarat, conditionemque aliquam praescribit necessario servandam in contractus celebratione.

Alia est *poenalis*, quae in personae, illiusque actionis odium actum decernit nullum; ut lex matrimonium irritans ob uxoricidium, aut adulterium cum matrimonii promissione. Alia *non poenalis* seu *legalis*, quae actum nullum declarat, non in alicujus delicti poenam, sed in bonum vel commune vel privatum: ut irritum declaratur testamentum minus solemne, & Professio ante annum XVII. emissa.

Q. I. *Num eo ipso quod lex actum prohibet, illum irritare censeatur?*

R. Neg. ut patet ex *cap.* Ad Apostolicam *de Regularibus*: ubi expresse definitur: *Multa fieri prohibentur, quae tamen facta tenent.* Enimvero prohibere & irritare sunt inter se omnino diversa. Illud enim actum duntaxat reddit illicitum: Hoc vero actum invalidum efficit & nullum. Sic matrimonium cum simplici vo-

to

to castitatis contractum, neque irritum est, neque irritandum, licet sit prohibitum.

Q. II. *Num lex irritans obliget in conscientia?*

R. Affir. Atque hoc sensu intelligitur, 1. non licere in conscientia uti actu tanquam valido, qui per legem irritus declaratus est, cum nullius sit roboris. 2. In conscientia nos teneri actum vitare, quem lex irritat simul, & prohibet; eo quod contineat lex praeceptum prohibens, ne actus fiant. 3. Legem pure actum irritantem non obligare ad illum vitandum, nisi materia legis id postulet. Quia ea lex actum quem irritat, non prohibet: & ad finem legis satis est actus irritatio sine obligatione illum vitandi. Hinc lex irritans paternae hereditatis renunciationem a filia factam, quae dote sua contenta est; eam non obligat ad non renunciandum.

Dixi, *nisi materia legis id postulet*. Licet enim aliquando legis irritantis verba nullam contineant prohibitionem, materia tamen legis vel circumstantiae prohibitionem inducunt; quando scilicet inhonestum est actum facere, qui validus fieri nequit; quod patet in matrimonio clandestino, quod ne attentare quidem licet.

4. Legem, quae actum facto ipso non irritat, sed futuram praecipit irritationem, non obligare ad actum irritandum, nisi

post judicis sententiam. Ratio est, quia ea lex judici mandat, ut actum nullum & infectum decernat. Ergo nisi sententia judicis accedat, actus nullus non est.

Q. III. *Quaenam impediant, ne lex actum ipso facto irritans, suum sortiatur effectum?*

R. I. Cum lex actum in poenam praecise irritat, si non sit culpa; regulariter loquendo non irritat. Qui enim a culpa est immunis, immunis esse debet a poena. Hinc Beneficiarius, qui oblivione inculpabili recitare horas canonicas omittit, fructus facit suos; licet lex irritet fructuum acquisitionem factam ab eo, qui recitare omittit officium divinum.

Dixi, *regulariter loquendo*. Quia nullam decernit Ecclesia beneficii collationem ex simonia incognita ipsi Beneficiario: & potestas civilis rebellis hominis filios bonis, & nobilitate privat. Lex enim in odium alienae culpae potest re aliqua innocentem privare.

R. II. Qui legem scit actum aliquem prohibentem, sed adnexam irritationem invincibiliter ignorat, irritationi subjacet. Hinc Beneficiarius, qui ad recitationem divini officii se teneri non ignorat, nescit tamen irritam esse fructuum perceptionem a non recitante factam; fructus non facit suos, si horas canonicas culpabiliter omittat. Ratio est, quia poenae ignoran-

tia

tia non excusat a culpa, quae totalis, & adaequata irritationis caussa est. Ergo nec etiam excusare debet ab irritatione.

R. III. Invincibilis irritantis legis ignorantia non impedit actus irritationem immediate factam ad bonum commune. Ratio est, quia ea lex culpam non supponit, cum propter bonum commune, non propter illam imposita sit. Adde eas leges non in facti praesumtione fundari, sed periculi, ne contra bonum commune aliquid fiat. Ergo cum periculum hoc semper exsistat, lex semper vigere debet. Hinc nullum erit matrimonium clandestinum, etsi inculpabiliter contractum fuerit. Item Professio Religiosa ante legitimam aetatem emissa. Item testamentum solemnitatibus a lege praescriptis destitutum.

APPENDIX.

De Lege Tributorum.

Tributi nomine hîc intelligitur publica pensio, quae pro Regiae dignitatis sustentatione, & Reip. conservatione a populo persolvitur.

Sunt autem Tributa generum variorum. Si enim personis imponitur, *Capitatio* dicitur, vulgo *Testatico*, quod per capita solvitur: si vero praediis, *Campatico* vulgo vocatur. Si autem pensio fuerit im-

imposita pro rebus in urbem invectis, aut ex illa evectis, *Vectigal* proprie nuncupatur: si vero pro rebus, quae per pontes & flumina vehuntur, dicitur *Portorium*. *Pedagium* praeterea appellatur quod a transeuntibus penditur ob viarum custodiam, & refectionem. Tandem quod pro operibus personarum h. e. pro iis qui excubias agunt, exigitur, vocatur *Angaria*.

Tributa rebus omnibus imponi possunt, nisi certa ratio obsit: ut in sacris, & in sordidis.

Jam vero in quibusdam Regnis duplex esse solet publica Arca, in qua publicae opes asservantur, quarum una pecuniam ad Aulam sustendandam designatam continet, & *Fiscus* appellatur. Hinc & *Adespota*, quae jure Rom. vel communia, vel publica habebantur, sunt assignata; Ut jura piscandi, venandi, fodiendi metalla & mineralia, bona vacantia, & thesauros occupandi: altera vero pecuniam publicis necessitatibus destinatam servat, & *Aerarium* vocatur. Utraque autem Arca, Fiscus scilicet, & Aerarium in Aristocratiis aliisque Rebusp. accurate distinguitur: in Monarchiis vero Princeps jure sibi omnia vindicat. Sed de his, si lubet, vide *Pufendorfium de Off. Hom. & Civ. lib. 2. cap. 7. §. 7.*

Q.I. *Num Princeps jus habeat tributa ac vectigalia imperandi?*

R.Affir.

R. Affir. Et quidem jus hocce inter jura Majestatis numeratur. Prob. Tributa 1. justa sunt stipendia Principi debita pro Regiae dignitatis sustentatione. 2. Necessaria sunt pro Reip. conservatione & securitate. Nam, ut recte ajebat *Tacitus lib. 4. Histor. pag.* 419. *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis*. Pecunia enim, quae rerum gerendarum nervus & robur est, belli & pacis temporibus in promtu semper esse debet.

Q. II. *Num teneantur subditi in conscientia tributa solvere?*

R. Affir. Prob. I. rationibus supra adductis. Si enim Princeps lege naturali jus habeat imperandi, & exigendi tributa; eodem jure subditi ea solvere adstringuntur.

Prob. II. Christus Dominus *Matth.* XXII. ut faceret satis Herodianis sciscitantibus, an Caesari dare censum liceret, viso census numismate, tributa legitimo Principi solvenda esse declaravit, inquiens: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari*. Pecunia scilicet, qua publicis in commerciis utimini, Caesarem legitimum esse Principem apertissime demonstrat. Ergo census est ei solvendus. Adde Apostolum *ad Rom.* XIII. qui docet tributa legitimo Principi esse solvenda non solum propter iram i. e. poenam quam lex minatur, sed propter conscien-

scientiam i. e. quia Deus praecipit, cujus numen offenditur hanc legem violando. *Si quis*, inquit *Augustinus in Exposit. quarundam quaest. Epist. ad Rom. putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum .... in magno errore versatur*.

Ex his colliges subditos justa tributa defraudantes, peccare contra justitiam commutativam, & restitutioni obnoxios esse.

Porro triplici de caussa Tributum justum sit oportet.

Et I. quidem in *Impositione*, 1. ut nimirum justa adsit caussa publicis necessitatibus subveniendi: ut finis ipse, ad quem tributa comparata sunt, satis ostendit. 2. Ut civium facultatum ratio habeatur, ne hisce oneribus opprimantur. 3. Ut servetur aequalitas, & quidem non arithmetica, sed geometrica. *Justum enim*, ajebat *Serv. Tullius* apud *Dionys. Halicar. Antiq. Rom. existimo, & Reip. utile, ut qui multum possident, multum conferant: parum vero, qui sunt in re tenui*.

II. In *Collectione* seu Exactione, ne scilicet plus exigatur, quam quod constitutum est; nec pro materia non debita. Publicanis enim a *Joanne Baptista* quaerentibus, quid in tributorum collectione sibi faciendum esset; respondit Propheta: *Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis*, *Lucae* III. Atque hinc patet,

tet, injurias vexationesque ab exigendis tributis prorsus esse removendas. *Tributa enim, & injuncta imperii munera* (subditi) *impigre obeunt, si injuriae absint: has aegre tolerant. Tacitus in vita Agricol. pag.* 56.

III. In *Usu. Aerarium enim, si ambitione exhauriatur, per scelera supplendum erit*, ajebat *Tiberius Imp.* apud *Tacit. lib.*2. *Annal.* pag. 56. Sit ergo Princeps pro sua & Reip. felicitate *ad aurum colligendum attentus, ad servandum cautus, ad inveniendum sollicitus, sed sine cujusquam excidio. Lampridius in vita Alexand. Sever.* pag. 218.

Quid si dubitet subditus de tributi justitia?

R. Adhuc teneri eum tributum solvere. Quia in dubio standum pro Principe, qui jus possidet tributa imponendi: neque privati est judicare, num tributum justum sit, nec ne.

CAP. XI.

De Legis Abrogatione, Dispensatione, Interpretatione, & Privilegio.

§. I.
De Legis Abrogatione.

Nota. Legis *Abrogatio est totius legis abolitio*. Differt autem Abrogatio a *derogatione*, quod illa totam, haec partem legis abolet. Differt quoque a *cessatione*, cum haec simplex sit & pura legis desitio per seipsam.

Q. I. *Num leges humanae revocari possint?*

R. Affir. Lex enim humana sicut a libera legislatoris voluntate orta est, ita & per eam dissolvi potest. Ut autem justa lex abrogetur, rationabilis caussa requiritur, quae praeponderet quae sequuntur incommoda ex legum mutatione. Si vero Legislator sine sufficienti caussa eam tollat, peccat quidem pro ratione materiae, sed valida est abrogatio.

Q. II. *Quinam abrogare legem possit?*

R. Qui legem tulit, abrogare eam va-

valet. Inferior legem superioris abrogare nequit, cum in superiorem potestate careat. Contra vero superior abolere inferiorum leges potest.

Q. III. *Quibus modis humana lex abrogari possit?*

R. Tripliciter lex abrogari potest 1. per *Revocationem*. 2. Per *Desuetudinem* vel contrariam consuetudinem. 3. Per aliam legem, quae simul cum antiqua servari nequit; tunc illa promulgatâ, haec abrogata censetur.

Nota, Leges speciales per posteriores generales non abrogari sine expresâ mentione, vel clausula saltem expresse derogatoria.

APPENDIX.

De Consuetudine.

Q. I. *Quid sit Consuetudo?*

R. Consuetudinem *jus quoddam esse moribus institutum, quod, cum lex deficit, pro lege suscipitur*. Dicitur 1. *jus*, quo distinguitur a facti consuetudine, quae in actuum repetitione & usu consistit, estque ipsius consuetudinis juris materia. Dicitur 2. *moribus institutum*. Jus enim hocce non voce aut scripto, sed moribus seu repetita actuum frequentia paritur. Dicitur 3. *quod pro lege suscipitur; quia invete-*

rata consuetudo pro lege custoditur l. 32. ff. de Legibus. 4. cum lex deficit. Juris enim vel statuti consuetudo aliquid abrogat, quod a *lege scripta* definitum non est, vel legem limitat aut interpretatur.

Q. II. *Quotuplex sit consuetudo?*

R. Consuetudo triplex est: alia *contra legem*, quae novam legem non inducit, sed veterem abrogat. Alia *secundum legem*, quae non tam consuetudo, quam observantia seu legis interpres est, quaeque cessat, simul ac lex abrogatur. Tertia tandem consuetudo est *praeter legem*, quae ex actuum frequentia producitur in materia, de qua lex scripta nihil decernit. Haec sola vim legis seu novum inducit jus, quando ceterae adsint conditiones.

Q. III. *Quaenam conditiones ad veram consuetudinem requirantur?*

R. Quinque requiri conditiones, 1. quod sit rationabilis. 2. Quod sit ex publica liberorum actuum frequentia. 3. Quod congruo temporis intervallo duret. 4. Quod interveniat Principis consensus, 5. Quod ex animo obligandi inducatur.

Consuetudo I. *Rationabilis* esse debet, bono scilicet communi congrua, & utilis. Ratio est, quia consuetudo naturam induit legis, quae semper est propter bonum commune. Hinc si consuetudo bono communi sit noxia vel inutilis, non consue-

suetudo, sed corruptela erit.

II. Quod sit *ex publica liberorum actuum frequentia*, hujusmodi nempe actus liberos esse, publicos, & frequentes. Et *liberi* quidem, idest non ex vi, metu, errore, sed humano modo exerciti. *Publici & notorii*. Actus enim occulti dici nequeunt facti ex communi societatis, & Principis consensu. Insuper haec publica factorum frequentia locum habet promulgationis in hac lege non scripta. *Frequentes*: de actuum frequentia non una est Doctorum opinio. Prudentum arbitrio id relinquimus, quorum est judicare, quaenam actuum frequentia populi firmum & universalem consensum patefaciat.

III. *Quod congruo temporis intervallo duret*. Hoc autem temporis intervallum multi decennio comprehendunt. Quia decennium in jure longum tempus reputatur ad hanc praescriptionem sufficiens.

IV. *Quod interveniat Principis consensus*, & quidem expressus, vel tacitus. Si enim Princeps resistat, consuetudo praevalere non potest.

V. *Quod ex animo obligandi inducatur*. Consuetudo enim vim obligandi non habet, nisi voluntate populi, cui princeps consentit. Hinc minime obligant consuetudines sola devotione inductae atque innixae: ut aspersio aquae benedictae in ingressu Ecclesiae, quotidiana salutatio Angelica sero,

 & ma-

& mane facta ad campanae sonitum.

Q. IV. *Num lex abrogari consuetudine possit?*

R. Legem tam Ecclesiasticam, quam Civilem etiam usu firmatam abrogari consuetudine posse.

Prob. Consuetudo, ut jam dictum est, vim legis habet. Ergo legem praeexsistentem tollere potest, sicut lex posterior priorem abrogare. Similiter potest consuetudo legi derogare, seu illam ex parte tollere: ut si relicta obligatione sub peccato, censeatur lex non obligare quod ad poenam ratione consuetudinis.

Nota, nullam consuetudinem posse legem naturalem, & divinam abrogare. Quia cum utraque lex a Deo sit, nullus homo potest eam abrogare.

Q. V. *An cessante fine legis, cesset quoque legis obligatio?*

R. I. Si finis legis absolute & universaliter cesset, legis etiam cessat obligatio. E. G. Prohibita est unius civitatis cum altera communicatio ad pestem vel contagionem vitandam: sublata omnino peste vel contagione, lex evanescit.

R. II. Si finis legis non universaliter, sed respectu alicujus personae in particulari cesset, legis obligatio non cessat respectu illius. Ita multi. Lex enim fertur ob bonum commune, & propter id, quod communiter accidit. Ergo quamdiu hic

finis legis adaequatus respectu multitudinis consistit, tamdiu lex vigere debet etiam respectu personae particularis. Finis enim legis non est casus personae particularis, sed qui communiter occurrit. Adde, quemque facile sibi fingere posse, legem respectu sui locum non habere.

§. II.
De Dispensatione.

Q. I. *Quid sit Dispensatio, quisque in lege humana dispensare valeat?*

R. I. *Dispensatio est legis relaxatio ab habente legitimam potestatem in aliquo particulari casu facta, ubi lex alioquin obligaret.* Dicitur 1. *Relaxatio*, sive exemtio ab obligatione legis. 2. *Ab habente legitimam potestatem.* Quia dispensatio jurisdictionis actus est soli superiori competens. 3. *In aliquo particulari casu &c.* Per quae verba dispensatio differt ab interpretatione, qua non relaxatur obligatio, sed solum non obligare in certis casibus lex declaratur.

R. II. Dispensare potest in lege humana is, qui eam tulit, aut ejus successor seu superior, aut ab his delegatus. Inferior in lege superioris per se loquendo dispensare nequit. Dixi, *per se loquendo*, quia in quibusdam casibus potest Episcopus in legibus Pontificiis dispensare.

Q. II. *Num possit legislator secum, quemadmodum cum aliis dispensare?*

R. Affir. Dispensatio enim est jurisdictionis voluntariae exercitium, quae neque sententiam, neque personarum distinctionem requirit. Idem docent de habente delegatam dispensandi potestatem, dummodo non sit restricta.

Q. III. *An, & quae caussa ad dispensandum requiratur?*

R. I. Legislator in lege sua, vel superior in lege inferioris dispensans absque caussa, id valide facit, sed illicite; & quidem graviter, si dispensatio fiat in re gravi. Quaenam vero sit caussa ad id sufficiens, non una generalis regula assignari potest; sed ratio temporis, utilitatis, necessitatis, & conditionis personarum habenda est.

R. II. Si inferior potestatem habens delegatam in lege superioris dispensandi, dispenset sine caussa, dispensatio non solum est illicita, sed etiam invalida. Unde peccat mortaliter tam dispensans, quam dispensationem petens, vel ea utens, si lex in qua dispensatur, obliget sub mortali. Quia delegatus limites commissae potestatis excedens, nihil efficit. Atqui praesumendum non est, superiorem committentem inferiori dispensandi potestatem concedere, ut id fiat sine caussa.

Q. IV. *An valeat dispensatio, si post dis-*

dispensationem caussa cesset?

R. I. Dispensatio nulla est, si caussa finalis sive inducens & movens non consistat tempore, quo a Papa, vel ejus Poenitentiario dispensatio impertitur, *cap.6. De Rescriptis* in 6. Nam nulla exsistente caussa superiores nolunt dispensationes concedere, ne sint iniqui dispensatores. Idem dicendum, dum ejusmodi caussa cessat, antequam delegatus a Papa commissionem dispensandi exsecutus fuerit. Hinc si quis caussa legitimandae prolis ex consanguinea susceptae, dispensationem petat super impedimento: sed ante obtentam, vel datam a Commissario dispensationem, proles moriatur, dispensatio erit nulla.

R. II. Si cesset caussa finalis post obtentam dispensationem, & delegati exsecutionem, sed ante illius usum: puta si ante contractum Matrimonium proles moriatur, controvertitur, num valeat in casu dispensatio. *Salmanticenses* utramque sententiam probabilem afferunt. Qui docent valere, hanc afferunt rationem; quia impedimentum absolute sublatum est, & lex semel ablata per dispensationem non reviviscit, nisi per novum legislatoris actum. Contra negativae sententiae Patroni ajunt hanc in dispensatione subintelligi conditionem, modo caussa tempore exsecutionis subsistat. Negativam sententiam ut probabiliorem amplectimur, imo unice ve-

 ram,

ram, si agatur de dispensatione non super impedimento aliquo, sed super observantia alicujus praecepti, puta jejunandi, recitandi divinum officium &c. tunc si caussa cesset ante dispensationis usum, cessat quoque dispensatio.

Item si dispensatio sit in materia dividua. E. G. Dispensatus es a Quadragesimali jejunio ob morbum, si post unam, aut alteram hebdomadam convalescas, ad legem abstinentiae rursus eris obstrictus.

R. III. Si Dispensatio sortita sit ultimum & totum suum effectum, caussa finali cessante, dispensatio non cessat. Hinc Irregularis ad ordines suscipiendos dispensatus ob parentum inopiam, si post susceptos ordines cesset inopia, licite ministrare potest; quia non redit impedimentum semel, & absolute per dispensationem sublatum.

Q. V. *Quandonam Dispensatio nulla sit ex parte petitionis?*

R. Dispensationem ex parte petitionis nullam esse, quando Dispensatio *Surreptitia* est, vel *Obreptitia*. Dicitur autem surreptia, qua reticentur quae in petitione sunt exprimenda juxta jus & Rom. Curiae stilum: obreptitia tunc est, cum in petitione falsitas exponitur.

§. III.

§. III.
De Legis Interpretatione, & Epikiia.

Q. I. *Quid, & quotuplex sit legis Interpretatio?*

R. *Interpretatio est legis declaratio*, & duplex est, alia *Authentica* seu jurisdictionis, quae a solo legislatore fit, vimque legis habet: alia *Doctrinalis*, quae legis vi caret, & a Doctorum judicio proficiscitur. Addi solet tertia, quae dicitur *Usualis*, & a communi usu & consuetudine pendet. Nam *Consuetudo est optima legis interpres*, *cap. 8. de Consuetud.*

Q. II. *Quid sit Epikiia, numque eâ uti licitum sit & quando?*

R. I. Epikiia est benigna interpretatio, cum casus aliquis particularis ob suas circumstantias in lege universaliter lata non comprehendatur.

R. II. Non tantum licitum est, sed & necessarium uti Epikiia, quando una lex servari nequit, nisi cum violatione alterius gravioris: ut si ejus observatio Reip. officeret, aut conjuncta esset cum gravi damno, aut injuria tertii. Exemplum habes apud *D.Thom.* 1.2. *q.96. art.6.* Si in aliqua civitate lex statuatur, ut portae maneant clausae obsidionis tempore; & casus incidat, quod hostes aliquos cives, per quos conservatur civitas, insequantur; pos-

sent tum portae aperiri contra legis verba.

R. III. Uti etiam licet Epikiia, quando legis observatio moraliter loquendo nimis gravis est & difficilis in his circumstantiis, E.G. ratione damni notabilis, gravis infamiae &c. Quia ordinarie humani legislatoris mentis non est cum tanto incommodo obligare.

Nota I. Cavendum in praxi, ne quis nimis facile sibi persuadeat, rationabilem esse praesumtionem de mente legislatoris, ubi revera non est.

Nota II. Solam legem positivam admittere Epikiiam, quae sit correctio legis; non vero naturalem, quae omnes excipit casus. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 120. *art.* 1.

§. IV.
De Privilegio.

Q. *Quid, & quotuplex sit Privilegium?*

R.I. Privilegium recte definitur, *facultas constanter permanens a superiore concessa faciendi contra, vel praeter legem.* Dicitur 1. *facultas constanter permanens:* per quae verba Privilegium differt a dispensatione, quae tantum est in ordine ad actum, vel casum aliquem particularem; adeoque permanens non est, sed transiens. Dicitur 2. *a superiore concessa faciendi contra, vel praeter legem.* Contra legem, quando datur

tur ab oneribus communibus exemtio: praeter legem, quando aliqua conceditur facultas iis, quibus de jure non competit, sed sine ullius praejudicio.

R. II. Privilegium dividitur 1. in *reale*, & *personale*. Reale, quod conceditur ratione rei, muneris, vel status. Personale, quod directe ipsi personae conceditur ratione sui, sive in ejus favorem. Hoc affixum est personae, cum eâque extingitur. Reale affixum est rei, & cum ea perseverat, & exspirat.

Dividitur 2. in Privilegium *contra jus* seu contra legem, & in Privilegium *praeter legem*. Prius est odiosum seu strictae interpretationis; quia licet sit favorabile privilegiato, est tamen odiosum, quatenus exorbitat a lege communi; nisi datum sit in favorem caussae piae &c. Posterius est latae interpretationis, si in nullius cedat praejudicium.

TRA-

TRACTATUS
DE PECCATIS.

TRactationem de peccatis aggredimur, sacris animarum Moderatoribus magnopere necessariam. Sicut enim corporum medicinam exercere nemo potest, nisi morborum accuratam sibi notitiam comparaverit; ita spiritualis medici munere nemo fungi valet, nisi peccatorum quae animae vulnera sunt, sufficienti ac solida cognitione sit instructus. Igitur qui sanandarum animarum curam suscipere cupit, tam necessariam hujusce artis notitiam non aspernetur.

CAP. I.

CAP. I.

De Peccati Natura, Divisione, Distinctione, & Gravitate.

§. I.
De Peccati Natura, & Divisione.

Q. I. QUomodo *definiatur Peccatum?*
R. Peccatum recte definitur a *S. Augustino lib.* 22. *contra Faustum cap.* 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam*. Explicatur definitio. Dicitur 1. *dictum, factum, vel concupitum*: quae verba materiale peccati produnt, actus scilicet humani substantiam, quae materiae instar aliquid est bono & malo commune. Dicitur 2. *contra legem Dei aeternam*: quae verba formale denotant peccati, sive actus malitiam, quae in oppositione cum lege consistit. Ita hanc ab *Augustino* traditam peccati definitionem explicat *Angelicus* 1. 2. *q.* 71. *art.* 6.

Rursus haec *Augustini* definitionis verba, *dictum*, *factum*, *concupitum* omnia concludunt peccata, siquidem peccatum omne vel mente, vel ore, vel opere perficitur. Particula autem *contra le-*

legem Dei aeternam significat peccata omnia, etiam quae directe sunt contra humanas leges. Lex enim Dei aeterna praecipit omnis praecepti humani legitimi observantiam. Quare qui illud non servat, violat Dei legem, peccatumque committit, dicente Apostolo *ad Rom.* III. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*.

Demum in laudata definitione implicite comprehenditur etiam peccatum omissionis, actus nimirum praecepti omissio. Nam sub facto, dicto, aut concupito comprehenditur non dictum, non factum, non concupitum; cum affirmatio, & negatio ad idem genus, ut ajunt Logici, reducantur.

Peccatum porro a Summistis definitur: *Legis divinae violatio libera, sive actus libere factus, vel omissus contra legem Dei*. Definitio haec explanatione non indiget, cum recidat in allatam a *S. Augustino*, nisi forte haec solum particula *libera violatio*. Nam actio vel omissio contra legem ad peccatum imputari non potest, nisi sit libera vel in se, vel saltem in caussa vel periculo, cum *ad impossibile nemo obligari possit*, *ex reg. 6. jur. in 6.*

Q. II. *Quid sit peccati macula?*

R. Maculam peccati sitam esse in privatione gratiae cum ordine ad actum praeteritum. Quia *sicut in corporalibus*, ait *D. Thomas* 1. 2. *q.* 86. *art.* 1. *macula dicitur*,

citur, quando corpus aliquod nitidum perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis; ita metaphorice dicitur macula animae detrimentum nitoris, quem ante habebat, proveniens ex contactu metaphorico, quo anima inhaeret aliquibus rebus per amorem contra lumen rationis, & divinae legis: praecipuus autem animae nitor, quo per peccatum privatur, est gratia sanctificans.

Q. III. *Quomodo peccatum dividatur?*

R. I. Peccatum dividitur in *originale*, & *personale*. Illud ex Adamo contrahitur, hoc propria peccantis voluntate committitur.

R. II. Peccatum personale dividitur in *actuale*, & *habituale*. Prius est actus inordinatus, & difformis regulis morum: Posterius secundum aliquos est macula remanens in anima ex actu malo non retractato.

R. III. Peccatum actuale multiplex est 1. vel est *cordis*, vel *oris*, vel *operis*. Primum corde perficitur, ut haeresis, odium &c. Alterum locutione completur, ut mendacium, blasphemia. Tertium opere consummatur, ut homicidium, furtum &c. Hanc vero actualis peccati divisionem in peccata cordis, oris, & operis *S. Thomas* exponit de variis ejusdem peccati gradibus, inquiens 1. 2. *q.* 72. *art.* 7. *Iracundus enim ex hoc, quod appetit vindictam, primo quidem perturbatur in corde, secundo in verba*

ba contumeliosa prorumpit, tertio vero procedit usque ad facta injuriosa, & idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato.

2. Peccatum sive cordis, sive oris, sive operis ratione objecti subdividitur in ea quae sunt *contra Deum*, *contra proximum*, & *contra seipsum*. Quamvis enim omnia peccata injuriam Deo inferant, distinguuntur tamen ratione virtutum, contra quas directe peccatur. Quaedam enim peccata peculiari modo Deo adversantur, ut sunt peccata, quae impetunt virtutes illas, quae Deum pro objecto immediate habent, ut fides, spes, caritas, & dicuntur peccata contra Deum. Quae vero violant virtutes proximum respicientes, ut justitia, misericordia, vocantur peccata contra proximum. Tandem quae opponuntur virtutibus institutis ad proprias passiones moderandas, nuncupantur peccata contra seipsum, ut temperantia, fortitudo.

3. Peccata contra Deum, seipsum, & proximum subdividuntur ratione modi quo committuntur, in peccata *commissionis*, & *omissionis*. Primum in praecepti negativi transgressione consistit; alterum est contra praeceptum affirmativum, quo actus bonus praeceptus omittitur.

4. Peccatum ratione subjecti dividitur in *carnale*, & *spirituale*. Illud in delectatione carnali consistit, ut gula, quae perfici-

ficitur in delectatione ciborum: Hoc in delectatione spirituali consummatur, ut superbia, quae in apprehensione propriae excellentiae delectatur. Septem Capitalium vitiorum *D. Thomas* 1. 2. *q.* 72. *art.* 2. ex *D. Gregorio* animadvertit duo esse carnalia, *luxuriam* nimirum, & *gulam*: & quinque spiritualia, *superbiam* nempe, *avaritiam*, *iram &c.* Idem *S. Doctor* ibid. *q.* 73. *art.* 5. docet carnalia majora esse ratione adhaesionis ad objectum, & ratione infamiae, cum sint circa illas delectationes, quae sunt communes nobis, & brutis: spiritualia vero ceteris paribus graviora esse, eo quod plus habeant aversionis a Deo, ex qua procedit ratio culpae, & ad spiritum pertineant, cujus est converti ad Deum, & ab eo averti.

5. Praeterea alia sunt peccata *ignorantiae*, quae ex hominis negligentiâ procedunt. Alia *infirmitatis*, quae ex passione proficiscuntur. Alia *malitiae*, quae non ex ignorantia, vel passione, sed ex electione mali committuntur. Vide *D. Thomam q.* 78. *art.* 1. ibid.

6. Dividitur peccatum in *mortale*, & *veniale*, quam divisionem infra explicabimus.

7. Tandem Recentiores novam peccati divisionem excogitarunt; nimirum in peccatum *philosophicum*, & *theologicum*. Illud definitur, *Actus humanus tantum* na-

naturae rationali disconveniens: Hoc vero *Actus humanus Dei offensivus, dissolvens amicitiam Dei, & poena aeterna dignus.* Quam futilis haec nova peccati divisio sit, patet ex hoc; quod qui peccat contra rectam rationem, simul & indivisibiliter peccat contra legem Dei, & sic Deum offendit; cum recta ratio nihil aliud sit, quam aeternae Dei legis participatio. Unde quaecunque rectae rationi opponuntur, aeternae quoque Dei legi adversantur.

Insuper peccatum ut naturae rationali dissonum attingi nequit, quin simul attingatur implicite ut Dei offensivum, ac proinde divinam rescindens amicitiam, ac poena aeterna dignum.

Nota, duo esse principia, ex quibus erronea de *Philosophismo* doctrina orta est. Primum est actualis advertentiae necessitas ad peccandum, ita ut si quis actu non advertat ad Deum, aut Dei legem, & in Deum blasphemias proferat, aut in proximum contumelias &c. tunc ob actualis advertentiae defectum, philosophicum, non theologicum peccatum committet. Verum quam laxa sit doctrina haec, & quaenam absurda eam consequantur, infra expendetur.

Alterum principium, quo maxime nititur *Philosophismus*, est invincibilis Dei ignorantia. Qui hanc defendunt, philosophicum peccatum propugnent necesse est.

Athei

Athei enim, quos vocant *Negativos*, Deum invincibiliter ignorantes, etsi flagitia atrociora perpetrent, peccabunt quidem contra rectam rationem, non vero contra Deum, quem cum ignorent, offendere nequeunt: nec per illa perpetrata scelera promerituri sunt poenam aeternam, sed temporalem, qua a Rep. hujusmodi flagitia puniri solent. Praetextu hujus invincibilis Dei ignorantiae *Charamuel* in Apologia contra *Fagnanum* Atheos ipsos in Caelum immittit. Sed erroneum quoque esse hoc alterum Philosophismi principium, Deum nimirum posse inculpate nesciri, communissime ostendunt solidiores Philosophi, ac Theologi. Imo quod docere quidam recentiores Moralistae ausi sunt, non est ausus & ipse Epicurus, qui apud *Tullium lib.*1. de *Nat. Deor.* affirmavit *Dei cognitionem esse nobis innatam, atque insitam, ita ut nullum sit genus hominum, quod Deum ignoret*. Merito igitur *Alexander* VIII, anno 1690. Philosophismum diris devovit in sequenti damnata propositione, nimirum quod *peccatum philosophicum in eo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, sit grave peccatum, sed non sit offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum*.

§.II.

§. II.
De Peccati Distinctione.

Peccata ad invicem distinguuntur *specie*, & *numero*. Specie quidem, quatenus specialem habent malitiam, per quam unum peccatum essentialiter ab alio differt. Numero vero, quatenus actus sunt individuales, & eorum malitia est ejusdem naturae. Sic furtum a furto numero distinguitur; sed furtum specie differt a fornicatione.

Porro malitia actus peccaminosi est oppositio ac difformitas, quam habet cum aeterna lege, ac recta ratione.

§. III.
De Peccatorum Specifica Distinctione.

Nota I. Specifica peccatorum distinctio proxime peti potest vel a diversis peccatorum objectis, ut docet *D. Thomas*; vel a diversis virtutibus, quibus peccata opponuntur, ut habet *Scotus*; vel a diversis praeceptis, quibus peccata adversantur, ut affirmant plurimi.

Nota II. Peccatorum objecta specie distinguuntur per diversam repugnantiam, quam habent cum aeterna lege, ac recta ratione.

Virtutes dicuntur diversae, quando specialem ac distinctam habent bonitatem.

Prae-

Praecepta tandem diverſa poſſunt eſſe, vel quatenus a diverſis ſuperioribus ſunt, ut praecepta juris divini, eccleſiaſtici, ac civilis; vel ratione rei praeceptae, quatenus ſcilicet praecipiunt vel rem ſpecie diverſam, vel eandem rem, ſed ſub motivo proximo diverſo. Porro praecipiendi motivum vel eſt proximum & intrinſecum, quod etiam dicitur *operis*, eſtque id, in quod opus naturâ ſuâ tendit. E. G. Intrinſecum praecepti jejunii motivum eſt temperantia, motivum eleemoſynae eſt miſericordia. Vel eſt extrinſecum, & dicitur motivum *operantis*, eſtque id, quod operans ſibi praeſtituit. E. G. Legislator jejunium praecipiens, honorem alicujus Sancti intendit. His poſitis,

Prop. I.

Specifica peccatorum Diſtinctio a diverſis non deſumitur praeceptis, ſi haec eandem numero rem, & ſub eodem motivo proximo praecipiant.

Prob. Furtum diverſis praeceptis prohibetur, jure nimirum naturali, divino, & humano. Sed qui furtum committit, unum ſpecie peccatum committit. Ergo ſpecifica peccatorum diſtinctio non a diverſis praeceptis deſumitur, ſi haec eandem rem, & ſub eodem motivo proximo praecipiant.

Hinc qui Sacrum omittit die feſto alicujus Sancti in diem dominicum incidente,

unum

unum specie peccatum committit. Item qui jejunia violat quatuor temporum, quae incidunt in Quadragesimam. Item violans votum multoties renovatum. Quia licet diversa sint praecepta, eandem tamen rem imperant sub eodem proximo motivo.

Quod si diversa praecepta sub diverso motivo proximo eandem rem praecipiant, tunc specificam distinctionem inducunt. Hinc qui jejunium violaret contra votum jejunandi die Veneris editum, & contra Confessarii praeceptum eodem die jejunandi, & quatuor temporum eodem similiter die recurrentium, triplex peccatum specie distinctum patraret: unum contra temperantiam a praecepto Ecclesiastico impositum, alterum contra Religionem, quam respicit votum, & tertium contra poenitentiam a Confessario praescriptam.

Dixi, *sub diverso motivo intrinseco*. Si enim diversum praecepti motivum sit extrinsecum, puta jejunium ad obtinendam serenitatem, vel in honorem alicujus Sancti praeceptum, specificam non infert diversitatem: Quia cum motiva haec fines sint extrinseci operantis, non vero operis, diversae rationis praecepta non constituunt.

Prop. II.

Specificae peccatorum divisionis radix duplex est: prima est, si actus diversis opponantur virtutibus: altera, si actus eidem virtuti opponantur, modo notabiliter diverso.

Prob.

Prob. Peccatum formaliter fumtum in oppofitione ad virtutem confiftit. Sed quaelibet virtus fpecialem & diftinctam habet bonitatem. Ergo actus diverfis oppofiti virtutibus, vel eidem virtuti modo notabiliter diverfo, diftinctam & fpecialem habent malitiam, cum in oppofitis eadem fit ratio.

Sententia afferens, fpecificam peccatorum diftinctionem proxime defumi ex objectis diverfis, in idem coincidere videtur cum noftra propofitione, ut teftantur ipfi *Thomiftae*. Peccatorum enim objecta fpecie diftinguuntur per diverfam cum lege repugnantiam: diftinctam cum lege repugnantiam habent objecta per oppofitionem ad diverfas virtutes: quae virtutes cum habeant diftinctam rectitudinem, objecta eis oppofita fpecialem & diftinctam habent malitiam. Sed modus, quo nos peccatorum fpecies diftinguimus, planior eft ac facilior.

Hinc I. haerefis, defperatio, odium Dei, blafphemia funt peccata fpecie diverfa, cum opponantur Fidei, Spei, Caritati, Religioni, quae funt virtutes fpecie diverfae. Item fi una eademque actio diverfis opponatur virtutibus, multiplex erit fpecie peccatum. Sic una eademque Clerici percuffio duas fpecie malitias continet, unam contra juftitiam, alteram contra Religionem.

Hinc II. multiplex etiam erit fpecie peccatum, fi actus eidem virtuti modo ta-

men notabiliter diverso opponatur, quod triplici modo fieri potest. 1. Si actus adversetur diversis ejusdem virtutis officiis. 2. Si eidem virtuti opponatur contrario modo. 3. Si eidem virtuti diverso modo, sed non contrario repugnet.

Sint exempla. Idololatria, & superstitio specie differunt in moralibus; quia licet eidem virtuti Religionis opponantur, adversantur tamen ejusdem virtutis officiis. Virtus enim Religionis non solum prohibet, ne alius a vero Deo colatur, contra quod peccatur Idololatria; sed etiam ne illegitimo cultu honoretur, contra quod peccatur superstitione. Prodigalitas, & Avaritia difformitatem habent specie diversam; quia eidem virtuti Liberalitatis opponuntur modo contrario: prodigalitas nimirum per excessum, avaritia per defectum. Detractio, furtum, & homicidium sunt peccata specie diversa, quia violant eandem virtutem justitiae modo diverso; licet non contrario. Nam diversa est ratio justitiam exercendi in fama servanda, ac in servandis bonis, & vita proximi. Sic e contrario diversi specie sunt actus, per quos justitia violatur nocendo famae, bonis, aut vitae.

APPENDIX

De Peccatorum Circumstantiis.

Q. I. *Quid sint peccatorum Circumstantiae?*

R. *Quaedam esse accidentia, quae comitantur, & circumstant actum moralem, & aliquo modo ad ejus malitiam conferunt.*

Dixi 1. *esse accidentia* &c. quia supponunt peccatum in certa specie constitutum. E. G. In furto rem esse alienam, non est circumstantia, sed ipsa furti essentia, cum furtum concipi non possit sine rei alienae acceptione: esse autem rem magnam, vel parvam, vel eo in loco commissum, circumstantia furti est; quia quamvis abesset haec vel illa quantitas &c. adhuc actus esset malus in specie furti.

Dixi 2. *aliquo modo* &c. Nam aliter non censebitur circumstantia actus moralis. E. G. Quod homicidium commissum sit manu dextera, vel sinistra, non est circumstantia moralis ad malitiam actus influens.

Q. II. *Quotuplex sit circumstantia in genere?*

R. Circumstantiae sunt duplicis generis. Quaedam enim malitiam actus intra eandem speciem augent, vel minuunt, & dicuntur *circumstantiae aggravantes*, vel *minuentes*; ut quantitas magna, vel par-

va in furto: quae si ad mortalem malitiam addant venialem, dicuntur *leviter aggravantes*: ut si quis quinque furetur carolenos, cum gravis furti materia sit quatuor. *Notabiliter* vero *aggravantes* dicuntur, si malitiam mortalem addant actioni jam mortali: ut si quis plures aureos furetur. Quod si circumstantia peccatum transferat de veniali in mortale, dicitur *aggravans in infinitum*.

Aliae novam peccato tribuunt malitiam specie distinctam ab ea, quae intrinsecus actui inest, & vocantur *circumstantiae speciem mutantes*: ut si quis furetur in loco sacro, praeter furti malitiam actui addit specialem sacrilegii malitiam. Interdum hae circumstantiae primariam peccati speciem actui bono tribuunt: ut si quis ad pravum finem Vanagloriae eleemosynam largiatur.

Q. III. *Quomodo circumstantiae speciem mutantes discerni possint?*

R. Circumstantiae toties novam peccati speciem addunt, quoties actui addunt novam oppositionem vel diversis virtutibus, vel eidem virtuti modo notabiliter diverso.

Q. IV. *Quot sint circumstantiae in particulari?*

R. Septem communiter assignantur, quae hoc versu continentur: *quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*.

Quis

Quis personae operantis conditionem vel qualitatem significat: ut in fornicante, quod sit conjugatus, consanguineus, aut affinis, Sacerdos.

Quid non ipsum objectum secundum se (quod circumstantia non est, cum ad actus substantiam pertineat) sed ejus quantitatem denotat, ut in furto magnum, & parvum. Item conditionem personae, circa quam versatur: ut si is qui percutitur, sit parens, clericus, nobilis, plebejus.

Ubi loci circumstantiam designat, an sit sacer, profanus, publicus.

Quibus auxiliis instrumenta vel adjutores, quibus peccatum commissum fuit, significat. E. G. Hominem occidisti veneno, aut aliquo instrumento prohibito, vel ope sicarii, daemonis, maleficii.

Cur finem extrinsecum operantis perhibet, ob quam actionem exercuit: ut si fureris ad inebriandum. Dixi, *finem extrinsecum operantis*; quia finis intrinsecus operis non est circumstantia, sed ad essentiam actus moralis pertinet, cum sit ejus objectum formale.

Quomodo modum actionis exprimit, num intense, an remisse, ex passione, ex malitia, ex perfecta, aut imperfecta advertentia.

Quando tempus denotat, an die festo opera servilia exercueris, num parva, an longa mora; num detractio longo tempore perduraverit. H 3 No-

Nota, certum esse circumstantias speciem mutantes in Confessione esse exprimendas. An vero notabiliter aggravantes sint etiam manifestandae, disputatur inter Theologos: affirmativa sententia verior est, & communior.

§. IV.

De Numerica peccatorum Distinctione.

Nota. Agimus hic de peccatorum numerica distinctione non physica, sed morali; cum peccata non sint quid physicum, sed morale. Actus enim voluntatis, in quibus potissimum peccata consistunt, possunt esse plures physice, licet moraliter sint unus; & plures moraliter, licet sint physice unus. Igitur tot erunt numero peccata, quot erunt actus voluntatis moraliter distincti. Sed ut dignoscatur, num actus voluntatis sit physice unus, an moraliter plures, sequens Regula tradi potest.

Prop. unica.

Numericae peccatorum distinctionis radix etiam duplex est: prima est, si idem actus entitative unus plura respiciat objecta totalia; tunc tot erunt numero distincta peccata, quot erunt objecta totalia violata. Secunda est, si actus sint physice plures, tunc solum peccata numero multiplicantur, quando iidem actus moraliter interrumpuntur.

Prob.

Prob. 1. pars. Si idem actus, etsi entitative unus, plura respiciat objecta specie diversa, plura includit peccata specie distincta. Ergo a pari si idem actus physice unus plura respiciat objecta numero distincta, plura etiam numero distincta peccata includit.

Hinc inferes, eum qui unico actu plures homines intendit occidere, vel reipsa occidit, plura peccata numero distincta perpetrare; quia licet actus sit unus, objecta tamen totalia, sive homines, sunt diversa. Item qui uno actu pluribus damnum infert; qui unicam blasphemiam in plures Sanctos profert; qui pluribus unico sermone scandalum praebet; qui hominem diversi generis contumeliis afficit, vel in pluribus materiis de eo detrahit, quia diverso in genere honorem, & famam laedit; qui una detractione plures homines infamat: quia quilibet homo jus suum habet ad honorem, & famam.

Item qui statuit per totam Quadragesimam non jejunare, horas canonicas non recitare, tot peccata committit, quot sunt dies. Sacerdos cum peccati mortalis conscientia plures successive Confessiones audiens, & absolvens, tot peccata committit, quot absolutiones impertitur. Idem dicendum de malo Sacerdote pluribus successive Eucharistiam ministrante; cum una Communio ab altera non dependeat.

Prob. 2. pars: tot scilicet esse peccata, quot sunt actus moraliter interrupti. Nam interruptio actuum hîc attendi debet in ordine ad Confessionem. Atqui Confessio est actus moralis. Ergo interruptio, quae actus in ordine ad Confessionem distinguit, debet esse moralis.

Q. I. *Quandonam haec moralis interruptio accidat?*

R. Actum voluntatis moraliter interrumpi, quando is nec formaliter, nec virtualiter perseverat. Quod tripliciter accidere potest, 1. per expressam retractationem: 2. per cessationem ab actu voluntariam: 3. per naturalem cessationem, aut oblivionem, aut distractionem, aut per somnum. Sed ut facilius tradita Regula applicari queat, distinctis quaesitis illam exponam.

Q. II. *An peccata, quae interius consummantur, ut sunt odia, haereses, desideria turpia, delectationes morosae, moraliter interrumpantur per quamcunque cessationem etiam naturalem; ita ut tot sint numero peccata, quot sunt actus voluntatis in illa consentientis.*

R. Affir. Nam ejusmodi peccata cum in actibus voluntatis consistant, postquam commissa sunt, nec formaliter, nec virtualiter remanent, cum unus ab alio non pendeat. Ergo multiplicatis voluntatis actibus, multiplicantur peccata. Hinc poenitens in Con-

Confessione explicare tenetur, quot vicibus in voluntate consensit. Quod si omnia distincte numerare nequeat, quia pravus animus fuit diuturnus, tunc temporis moram manifestare tenetur.

Q. III. *Quomodo multiplicentur peccata, quae in actione externa perficiuntur, ut furtum, homicidium* &c.?

R. Peccata, quae exterius perficiuntur, ut sunt peccata oris, & operis, moraliter interrumpi, ac proinde numero multiplicari 1. per consummationem operis externi. E. G. Si quis propositum habeat furandi, illudque exsequatur, rem alienam reipsa surripiendo, & hoc furto consummato, aliud propositum renovet, duo committit peccata; quia primum propositum completum fuit media furti exsecutione.

2. Per retractationem.

3. Per voluntariam, & liberam pravi actus cessationem. Nam qui actum priorem retractat, ac de illo dolet, vel sine retractatione voluntarie ac libere a pravo cessat proposito: E. G. qui dicit, nolo amplius pergere in hoc opus, tunc si iterum ad pravum redeat propositum, novus actus erit moraliter diversus a primo, cum a primo non pendeat, & ideo erit novum peccatum. Utrum vero praefata peccata multiplicentur non solum per retractationem, & liberam operis cessationem; verum etiam per quamcunque naturalem ces-

sationem, ut per somnum, oblivionem, distractionem &c. quaestio non levis est inter Theologos, ad cujus solutionem

Assero, *Interiorem repetitionem pravi propositi in peccata, quae opus externum respiciunt, moraliter non interrumpi per quamcunque naturalem cessationem, si interior pravi actus repetitio in aliquo uniatur effectu, qui ad peccati consummationem conducat, dummodo inter repetitos actus multum temporis non intercedat*.

Prob. Qui furari deliberat, & continuo viam arripit, scalas admovet, instrumenta disponit, etsi in itinere de aliis rebus cogitet, confabuletur, legat, saepius propositum furandi repetat, unum peccatum committit. Quia pravi actus interni repetitio virtualiter perseverat & durat in opere illo externo; unde unum moraliter peccatum ex omnibus illis actibus habetur: nec breves illae quae intercedunt distractiones, dum fur intra eundem diem omnia ad furti exsecutionem parat, seriem illam actuum, qui ad peccati conducunt exsecutionem, moraliter interrumpunt.

Dixi, *dum inter repetitos actus multum temporis non intercedat*. Si enim magna temporis-mora intercedat, tunc moralis actionis unitas aufertur, licet prior voluntas non sit retractata.

Quae autem aestimanda sit temporis diu-

diuturnitas ad constituendum unum moraliter peccatum, variant Theologi. Quidam docent, impetum unius actus ad duos vel tres dies perdurare: *Concina* extendit tantum ad unum diem.

Q. IV. *An actus externi physice plures, si ad ejusdem peccati consummationem dirigantur, unum morale peccatum constituant?*

R. Cum distinct. Si actus externi ad eundem actum principalem ordinati, ejusdem sint cum illo malitiae, ab actu principali moraliter non distinguuntur: secus, si aliquam specialem habeant malitiam.

Prob. 1. pars. Quia tunc judicio prudentum una actio moralis censetur virtualiter perseverans in tota illa serie actuum, qui tanquam media, & dispositiones a voluntate assumuntur, & diriguntur ad ejusdem peccati consummationem. Ita ictus, vulnera, quae homicidium antecedunt, peccata non constituunt ab homicidio distincta, cum ad hoc ordinantur, efficiantque unum totale objectum.

Prob. 2. pars. Si actus subordinati sint malitiae diversae ab actus principalis malitia; tunc plura sunt peccata specie distincta. E. G. Si ad homicidium consummandum ope daemonis utaris, actus subordinatus erit peccatum ab actu principali moraliter distinctum.

Si vero actus externi ad idem opus

non ordinantur, tot sunt peccata, quot actus. E. G. Qui animum tantum habuit inimicum vulnerandi, quem postea ira correptus occidit, duo peccata commisit.

Insuper actus, qui principalem actionem subsequuntur, sunt peccata inter se a principali actione distincta. Quia actus subsequentes priorem actionem non integrant seu perficiunt, sed aliam praeparant. Hinc si quis inimicum occidat, statimque de ejus morte delectetur, duo committit peccata, cum gaudium de morte illata novum sit peccatum. Ita multi contra multos.

§. V.
De Peccatorum Gravitate.

Nota I. Gravitas peccati est major, vel minor malitia, quam unum peccatum prae alio habet, ac proinde redditur majore, vel minore poena dignum. Hoc autem malitiae incrementum haberi potest in eadem, vel diversa specie. Sic furtum decem nummorum est homicidio levius, & gravius quinque nummorum furto.

Nota II. Peccata non esse aequalia, sed alia aliis graviora. Scriptura testatur *Jerem. Thren.* IV. *Major effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum:* & *Joan.* XVIII. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*. Quaeritur autem inter Theologos, unde petenda sit haec gravi-

vitas, ad cujus quaesiti solutionem

Assero cum *D. Thoma* 1. 2. *q.* 73. *art.* 4. *regulariter loquendo, illa peccata esse graviora, quae praestantioribus virtutibus per se opponuntur.*

Prob. *Pessimum optimo contrarium est*, ait *Angelicus loco laud. optimum autem in moralibus est maxima virtus; pessimum vero gravissimum peccatum. Ergo maximae virtuti opponitur gravissimum peccatum.*

Porro peccatum, quod praestantiori virtuti opponitur, pejus habet objectum, & peccantem majore bono privat. Hinc peccata, quae theologicis virtutibus opponuntur, ceteris paribus, graviora sunt illis, quae virtutibus opponuntur moralibus.

Dixi 1. *regulariter loquendo*. Nam peccatum gravius ex objecto superari in malitia potest a peccato inferioris generis ratione circumstantiarum, ut docet idem *Angelicus* 2. 2. *q.* 10. *art.* 3. *ad* 1. *Nihil prohibet, peccatum quod est gravius secundum suum genus, esse minus grave secundum aliquas circumstantias.* Hinc blasphemia est gravius peccatum, quam homicidium; & tamen ratione circumstantiarum quae illud comitantur, & ratione effectuum qui illud sequuntur, in prudenti hominum aestimatione homicidium gravius ipsa blasphemia habetur.

Dixi 2. *per se opponuntur*. Hinc homicidium est gravius, quam laborare die

festo;

festo; quamvis illud justitiae, hoc Religioni opponatur. Homicidium enim natura sua, & jure naturali prohibetur; abstinentia vero ab opere servili diebus festis jure positivo vetatur.

CAP. II.

De Conditionibus ad peccatum requisitis.

UT peccatum sit imputabile, duo necessario requiruntur, *advertentia rationis*, ac *liber voluntatis consensus*. Sed quaenam advertentia, quinam consensus sufficiat, distinctis paragraphis exponam.

§. I.

De Advertentia ad peccatum necessaria.

Nota I. Advertentia multiplex est: prima ratione *objecti*, cujus alia est ad actionem materialiter sumtam, sive ad physicum actionis moralis objectum sine reflexione ad ejus malitiam: ut si quis advertens se comedere carnes, non reflectat id a se fieri die jejunii. Alia est ad actionem, & ad ejus malitiam: ut si quis advertat ad

ad carnem quam comedit, & ad ejus prohibitionem.

Secunda ratione *modi*, cujus alia est formalis, alia virtualis; formalis quidem, quae etiam expressa & actualis dicitur, in actuali apprehensione malitiae actus consistit. Virtualis seu interpretativa habetur in eo, qui potest ac debet ad malitiam actus advertere, nec tamen advertit.

Tertia ratione *perfectionis*, cujus alia est plena, ut cum aliquid expedita mente discernimus. Alia semiplena, ut cum mente non perbelle expedita aliquid cognoscimus; ut accidit in semidormiente.

Nota II. Convenit penes omnes ad peccatum requiri aliquam advertentiam saltem virtualem ad malitiam actus. Nam ubi nulla advertentia seu cognitio, ibi nulla libertas, atque inde nullum peccatum. Id autem, quod in controversia vertitur, est, num ad formaliter peccandum requiratur actualis & expressa advertentia, vel saltem dubitatio, vel scrupulus malitiae moralis: an sufficiat virtualis & interpretativa advertentia, quae etsi actu malitiam objecti non consideraverit, potuerit tamen morali potentia, & debuerit considerare. Sententiam affirmantem actualis reflexionis necessitatem ad peccatum, primus omnium docuit *Grabriel Vasquez*, quem secutus est *Terillus*, ceterique Probabilistae. Pro opinione eam necessitatem negante stant Thomi-

mistae, praesertim Probabilioristae. Sit ergo cum his

Prop. I.

Ad formaliter peccandum non requiritur actualis advertentia, neque dubium, vel scrupulus de operis malitia: sed advertentia sufficit virtualis in eo sita, quod homo possit, ac debeat advertere.

Prob. I. Si ad peccandum necessaria foret actualis advertentia, nulla essent ignorantiae crimina. Sed de fide est dari peccata ignorantiae, quae scilicet ex vincibili malitiae ignorantia proficiscuntur. Ergo &c. Major prop. prob. Qui enim se peccare advertit, non ignoranter, sed scienter peccat; tunc quippe malitia ignoratur, cum malitiae notitia deest. Ergo si dantur ignorantiae peccata, actualis advertentia non requiritur, sed sufficit virtualis.

Prob. II. Dantur peccata ex conscientia erronea culpabili. Sed natura & essentialis notio conscientiae vincibiliter erroneae pugnat cum advertentia, cum cognitione, dubio, & scrupulo. Quando enim dubium adest, dubia conscientia ab omnibus appellatur; & scrupulosa, si scrupulus occurrat. Erronea ergo conscientia essentialiter malitiae cognitione caret. Quamobrem dicebat Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

Prob. III. Ideò necessaria est actualis cognitio, ut peccatum sit voluntarium. At-

Atqui id opus non est, eo quod sine actuali malitia seu advertentia voluntarium esse queat. Ergo &c. Satis quippe est ad peccandum voluntarium indirectum & interpretativum; idcirco haud requiritur expressa actualis voluntas seu volitio, sed sufficit virtualis in eo sita, quod homo possit, ac debeat velle. Itaque non requiritur actualis advertentia, sed sufficit virtualis.

Confirmatur idem argumentum exemplis. Qui potest, ac debet vetare malum, & non vetat, censetur consentire. Qui tacet, cum possit, debeatque negare, censetur virtualiter concedere; ut omnia jura clamant. Similiter qui potest, debetque notitiam implendae legis comparare, illamque negligit, vel omittit advertere, consuetudine prava, vel turpi affectione, cupiditate, libidine impeditus, peccat. Legesis *D.* T*homam* 1. 2. *q.* 6. *art.* 3. & *art.* 7. *ad* 3.

Prob. IV. Admissa necessitate actualis advertentiae ad formaliter peccandum, doctrina de peccato philosophico ab Ecclesia damnata revivisit. Ergo rejicienda. Prob. Antecedens. Peccatum philosophicum est actus humanus naturae rationali disconveniens, sed non Dei offensivus. Sed qui sine actuali cognitione de malitia actus peccat, ejus operatio juxta Adversarios, etsi rectae rationi sit maxime difformis, non est tamen formaliter mala, ac proinde Dei non

non offensiva. Ergo aut rejiciant Adversarii opinionem de necessitate actualis cognitionis, aut peccatum philosophicum deglutiant necesse est.

Adversariorum argumenta ad haec duo potissimum reducuntur, 1. nullum esse peccatum sine cognitione, cum cognitio sit prima libertatis radix. 2. In casu inadvertentiam censendam esse invincibilem, cum nulla menti occurrat malitiae notitia, neque de ea dubium vel scrupulus adsit, ac proinde excusaret a peccato formali.

Ad I. R. nullum esse peccatum sine cognitione vel actuali, vel virtuali, concedo; semper sine cognitione actuali ac formali, nego. Sufficit enim cognitio virtualis, qua quis potest, & scire tenetur, ut peccatum sit indirecte volitum, ac proinde imputabile.

Ad II. R. Si defectus actualis cognitionis sit antecedens, & absque voluntate, & culpa hominis, concedo esse invincibilem, & a culpa excusare. Si contra privatio actualis cognitionis sit consequens, & volita in caussa ob culpam ipsius hominis, nego invincibilem esse, & a peccato excusare, cum culpabilis sit, & peccati caussa.

Ex dictis inferes I. privationem actualis cognitionis tunc a peccato excusare, quando oritur ex invincibili ignorantia. Sic infideles negative, nempe qui de Evange-

angelio nihil audierunt, a peccato excusantur, si legibus Evangelii non obsequantur. Idem dicendum de fidele timorato, & circumspecte agente, qui naturali raptus distractione, vel ob similem caussam, non advertit ad rem, quae non est intrinsece mala, & solo jure positivo prohibita: puta fidelis, qui absque culpabili negligentia ad diem jejunii non advertit. Item bonus Clericus, cui ab animo penitus excidit recitatio alicujus horae canonicae. Item poenitens, qui prae oblivione impositam praefixa die satisfactionem non implet, propterea quod ea inadvertentia naturalis & invincibilis censetur, agensque ad obligationem non advertit, nec advertere potest: neque ulla adest culpabilis negligentia, neque sola objecti propositio simul cum habituali praecepti cognitione sufficit ad excitandam cognitionem malitiae, cum non agatur de re intrinsece mala.

Inferes II. A peccato formali non excusari, qui culpabili ignorantia non advertit ad malitiam operis praesertim in his, quae intrinsece mala sunt, & contra legem naturalem. In hisce enim materiis ad excitandam actualem malitiae cognitionem, sufficit habitualis malitiae notitia cum advertentia ad id, quod agitur, cum simplex objecti propositio intrinsecam connexionem habeat cum ejus malitia. Sic qui vin-

vincibiliter Deum ignorat, vel actu de Deo non cogitat, a formali peccato non excusatur, cum ejus error & inadvertentia sit vincibilis. Item a culpa formali non erunt immunes consuetudinarii, qui ex prava consuetudine non retractata blasphemias in Deum evomunt, contumelias in proximum proferunt, nefandis ac turpibus rebus sese immiscent; cum horum excaecatio sit voluntaria. Homo enim eodem praecepto, quo vitare peccatum tenetur, tenetur adhibere advertentiam & considerationem, cum sine ea peccatum vitari nequeat.

Dixi, *ex consuetudine non retractata*. Nam consuetudinarius, qui per poenitentiam suum retractavit habitum, media a prudenti Confessario praescripta adhibuit, ac serio conatus est, ne pravus habitus erumperet in actus, si quid sibi incaute contra legem excidat, reus non est: cum actus inconsiderate commissus, nec voluntarius sit in caussa, utpote retractata; nec in se, utpote qui ex oblivione quadam naturali contingat.

Prop. II.

Semiplena advertentia, qualis est in semidormiente, non sufficit ad peccatum mortale, sed advertentia plena requiritur, etiamsi materia gravis sit.

Prob. Peccatum mortale est perfecta aversio a Deo. Ergo perfectam requirit ad-

advertentiam vel actualem, vel faltem virtualem, qualis certe ea non eft, quae reperitur in eo, qui vel femidormiens, vel mente pene omnino diftracla vix ad actionem fuam attendit. Et fane nemo bonus pater filium fuum ab hereditate dejiceret ob peccatum ex femiplena confideratione commiffum. Ergo neque etiam mifericors Deus hominem a fua gratia excludet ob peccatum commiffum ab eo, qui mente non expedita peccati malitiam plene non cognovit, vel cognofcere potuit.

Dices: Qui poteft, & tenetur advertere, nifi advertat, peccat. Ergo a pari peccat qui imperfecte confiderat; fi poffit perfectius confiderare.

R. Qui non advertit, cum poffit, peccat: cum hoc proveniat ex fua culpabili negligentia. Secus, fi imperfecte confideret, cum hoc procedat ex mente non expedita, nec valente plene advertere, quantum requiritur ad peccatum mortale.

Hinc 1. debitae attentionis in divino officio requifitae reus non eft pius ac diligens Clericus, qui neceffariis vacans ftudiis, dum attente officium vult recitare, aliquando tam profunde diftrahitur, ut faepe dubitet an aliquid recitaverit. 2. A peccato mortali excufatur qui non plene a fomno excitatus, de aliquo impuro phantafmate delectatur; quia tunc non plene adverti poteft ad ejus malitiam.

§.II.

§. II.
De Consensu ad peccatum requisito.

Quae hactenus diximus de Advertentia, pariter dici debent de consensu. Hinc

Assero I. *Ad peccatum mortale requiritur omnino plenus consensus, seu deliberatio voluntatis.*

Prob. Peccatum mortale plena est & consummata culpa. Ergo ad illud requiritur perfecta, ac plena voluntatis deliberatio. Ita Doctores communiter.

Assero II. *Ad mortale non requiritur, ut consensus feratur in rem ut malam, sed sufficit, si feratur in rem quae mala est, & ut talis adverti potest, ac debet.*

Prob. Malum est summe, & omni modo fugiendum. Sed voluntas quae fertur in rem malam, non ut malam, sed quae ut talis adverti possit, ac debeat, malum non fugit omni modo, cum illud indirecte & interpretative velit. Ergo &c.

Assero III. *Nonnunquam fieri potest, ut peccatum etiam in materia gravi defectu sufficientis consensus non sit, nisi veniale.*

Prob. ex *D. Thoma* 2, 2, *q.* 88. *art.* 6. *Potest id quod ex genere suo est mortale, esse veniale propter imperfectionem actus; quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non sit deliberatus, sed subitus.* AP-

APPENDIX

De Voluntario, & Libero.

§. I.
De Voluntario.

Q. I. *Quid sit Voluntarium?*

R. *Voluntarium actus est a voluntate procedens cum rationis advertentia saltem virtuali.* Duo igitur ad voluntarium requiruntur, 1. ut *a voluntate procedat*, vel, ut alii dicunt, *a principio intrinseco*. Hinc si quis manum tuam arripiat, ut Idolo offeras incensum; actio quae, te invito, in te fit, voluntaria non est, cum sit a principio tibi extrinseco, seu ab extrinseca vi quam pateris. 2. Ut *fiat cum advertentia rationis* i. e. cum praevia eorum cognitione, quae voluntaria dicuntur. Hinc motus omnes, qui rationem praeveniunt, ut motus qui primo primi vocantur, voluntarii non sunt. Item actus somniantium, amentium, qui non sunt saltem perfecte voluntarii. Item brutorum operationes, quae licet sint a principio intrinseco, non sunt tamen voluntariae, eo quod fiant aut sine ulla prorsus cogitatione, juxta sententiam afferentem, bruta esse mere automata: aut saltem sine advertentia & cognitione finem cum mediis comparante. Bruta enim ex craf-

crassa & materiali quadam perceptione ad objecti praesentiam sponte se movent. Sed cum haec cognitio imperfecta sit; & cognitionis simulacrum, volitio ex ea sequens remota est quaedam voluntarii similitudo. Hinc est, ut eorum actus spontanei potius, quam voluntarii dici debeant.

Dixi, *ex advertentia saltem virtuali;* eâ scilicet, quae licet defuerit, haberi tamen potuit, ac debuit.

Q. II. *Quotuplex sit Voluntarium?*

R. Multiplex: Nam I. in *necessarium*, & *liberum* dividitur. Necessarium est quod à voluntate ad unum antecedenter determinata procedit. Ut amor Beatitudinis in communi, & Beatorum amor, qui ex perfectissima cognitione summi Boni clare visi & possessi voluntarie, sed necessario procedit. Liberum vero est quod fit a voluntate sine intrinseca & antecedenti determinatione ad unum. Ut viatorum amor, in qua vera aut falsa sita est beatitudo. Hinc omne liberum voluntarium est, sed non omne voluntarium est liberum.

II. Dividitur in *perfectum*, quod fit cum plena advertentia, plenoque consensu; & in *imperfectum*, quod cum semiplena advertentia fit, & semipleno consensu. Ut accidit in semidormiente, vel semiebrio.

III. Dividitur in *directum*, *indirectum*, & *interpretativum*. Directum est illud,

lud, quod in se & immediate est volitum. Ut si quis hominem occidat, quia vult eum occidere. Voluntarium indirectum est, quod non in se & immediate, sed in caussa est volitum, quod nimirum saltem praevideri potuit ut ejus effectus caussa. Hujusmodi est homicidium in ebrietate commissum ab eo, qui libere se inebriavit, praevidens se, cum ebrius fuerit, homicidii capacem fore. Interpretativum dicitur, quod licet non sit positive volitum, juxta tamen moralem prudentum aestimationem censetur volitum, eo quod facere omiserit quod poterat & debebat. Hujus voluntarii species libera esset navis submersio, propterea quod Navarchus eam regere omiserit. At saepe voluntarium hoc cum indirecto confunditur.

Q. III. *Quaenam requirantur conditiones, ut effectus, qui ex aliqua caussa sequitur, sit voluntarius non solum physice, sed etiam moraliter i. e. ad meritum, vel demeritum?*

R. Tres requiri conditiones. 1. Ut operans advertat, vel advertere possit effectum ex illa secuturum esse. Hinc defectu hujus conditionis inculpabilis fuit immodestia *Noë*, eo quod nullo modo fuerit in ebrietate praevisa. Ignorabat enim *Noë* vinum posse hunc effectum caussare. 2. Ut effectum impedire possit, auferendo illius caussam. Sic peccat qui obscenam tabel-

lam, quae pravarum cogitationum caussa est, apud se retinet, vel alteri vendit. 3. Ut caussam hanc auferre teneatur, vel eam non ponere. Hujus tertiae conditionis defectu non peccat Parochus, qui Confessiones audiens, inordinatos motus invitus patitur.

Q. IV. *Quid sit Spontaneum, & Liberum, et quî a Voluntario differant?*

R. Voluntarium, spontaneum, & liberum aliquando inter se confunduntur, sed si presse loqui velimus, inter se differunt. Nam spontaneum stricte acceptum est quod ab appetitu pure sensitivo procedit, sub qua ratione convenit solis brutis: late sumtum est quod ab appetitu sive rationali, sive sensitivo procedit. Hinc differt a voluntario stricte accepto, quod ab appetitu rationali, seu voluntate proficiscitur.

Liberum est quod oritur a potentia suorum actuum domina. Verum aut latius secundum genus sumi potest, aut strictius & secundum propriam speciem: latius quidem & conceptu generico ac communi in *voluntario perfecto* situm est. Agens enim ab omni vel externa, vel interna caussa cogente solutum & expeditum praeterquam a proprio judicio, propriaque voluntate, ideo vult, quia vult. Strictius vero & conceptu specifico *ut a vera, reali, activa potestate ad opposita provenit*. Ita enim Agens vult aliquid, ut & oppositum

situm velle possit: libertas secundum genus omni statui sive termini sive viae communis est: ad meritum vel demeritum proinde sola non sufficit: libertas secundum propriam speciem statui viatoris est propria, & ad meritum vel demeritum necessaria.

Q. V. *Quid sit Involuntarium?*

R. Involuntarium dupliciter sumi potest, *negative*, & *positive*. Negative sumtum, est quod a voluntate simpliciter non procedit, sive cum voluntas non vult aliquid, quod velle posset: sumtum positive seu contrarie, est quod non solum non est vetitum, sed etiam nolitum, & contra actualem inclinationem voluntatis.

Involuntarium positive duplex est, *simpliciter*, & *secundum quid*. Involuntarium simpliciter est contra inclinationem voluntatis, quantum est in se efficacem ad illud impediendum. Ut mors, quae alicui affertur plane invito. Item motus concupiscentiae, qui contra voluntatem insurgunt toto affectu renitentem.

Involuntarium secundum quid est quod voluntati quidem displicet secundum aliquam considerationem, secundum aliam vero magis placet. Sic mercium projectio in mare metu naufragii facta displicet quidem mercatori, spectato earum valore, sed spectata tempestate magis arridet; cum ea in circumstantia ad mortem vitandam ne-

 ces-

cessaria esse videatur. Hinc mercium jactura mercatori voluntaria esse dicitur simpliciter, i. e. absolute; involuntaria secundum quid, i. e. conditionate.

Q. VI. *Num involuntarium, coactum, necessarium, & violentum sint unum & idem?*

R. Neg. Nam violentum proprie dicitur de agentibus inanimatis. Hinc motus lapidis sursum projecti dicitur violentus, non vero involuntarius. Coactum sive innatum proprie dicitur de agentibus animatis sive ratione careant, sive non. Involuntarium dicitur de solo agente rationali. Necessarium vero de violento, coacto, & aliqua tum voluntarii, tum involuntarii specie: voluntarii quidem, quia amor Beatificus necessarius est, & tamen non est coactus, violentus, aut involuntarius; involuntarii vero, quia aliqui concupiscentiae motus necessarii sunt simul, & involuntarii.

Hinc collige, violentum naturali, coactum spontaneo, involuntarium voluntario, necessarium libero opponi.

§. II.
De Libero.

Liberum, ut vidimus, huic statui proprium, a vera, reali, activa potestate ad opposita provenit: inde definitur in

Scho-

Scholis Agens liberum, *quod positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere, & non agere*. Verum ea praerequisita ad agendum intelliguntur ut se teneant ex parte *actus primi*, non *secundi*; ex parte facultatis activae, non actionis: sed sub iis ita vult aliquid homo, ut & oppositum velle possit.

Q. I. *Quotuplex sit Libertas?*

R. Ex dictis duplicem distingui libertatem, aliam nimirum *a coactione*, *a necessitate* aliam. Libertas a coactione sive a violentia est, cum nullo cogente, actus sponte ponitur, licet necessario ponatur. Hoc sensu libere amare Deum dicuntur Beati, libertate scilicet seu immunitate a coactione, quia non coacte & cum repugnantia, sed voluntarie & spontanee Deum amant. Libertas a necessitate, quae libertas etiam *indifferentiae*, & *liberum arbitrium* appellatur, est immunitas non solum a coactione & violentia, verum etiam ab intrinseca & antecedente necessitate. Hoc sensu liber est qui active potest opposita: opposita sunt agere bonum vel malum. Hinc libertas *Contradictionis*, *Specificationis*, *Contrarietatis*, ut ajunt: potestas nimirum agendi vel non agendi, agendi hoc vel illud, agendi bonum vel malum. His positis,

Assero I. *Agnoscenda est in homine etiam lapso libertas indifferentiae, seu libe-*

rum voluntatis arbitrium.

Prob. Nihil in Scriptura frequentius, quam hominem etiam lapsum suorum actuum dominium habere, potestatem bonum malumve eligendi. Sed homo ratione libertatis indifferentiae, seu potestatis agendi & non agendi, eligendi hoc vel illud, dominio in suos actus potitur. Ergo &c. Major prob. ex libro *Genesis cap.* IV. ubi ad Cain haec dicit Dominus: *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Duo autem hîc notanda, 1. Cain in suam concupiscentiam dominio potiri. 2. Posse agere bonum, ac malum. Ergo libertate indifferentiae, seu libero voluntatis arbitrio Cain praeditus erat.

Recte igitur Tridentinum *sess.* VI. *can.* 5. Novatores damnavit, asserentes liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum & extinctum esse, ac rem esse de solo titulo.

Assero II. *Ad meritum, vel demeritum in statu naturae lapsae non sufficit libertas a coactione, sed insuper requiritur libertas a necessitate*.

Prob. I. Ita definitum est ab *Innocentio* X. qui hanc propositionem haereticam declaravit, damnavitque: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed*

sed sufficit libertas a coactione.

Prob. II. Ex Scriptura, quae rationem meriti, vel demeriti repetit ab immunitate a quacunque necessitate intrinseca & antecedenti. *Ecclesiastici cap.* XXXI. *Beatus* dicitur *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Merito igitur ratio ex eo repetitur, quod quis mandata non violet, cum possit. Atqui qui mandata non violat, cum possit, is profecto liber est non solum a coactione, verum etiam a quacunque intrinseca & antecedenti necessitate. Nam aliter non posset servare mandata, cum ex necessitate esset ad unum determinatus.

Assero III. *Indifferentia ad peccandum ad naturam libertatis non pertinet, sed ad statum puri hominis viatoris.*

Prob. 1. pars ex *D. Thoma*, qui in II. *Senten. dist.* 25. *q.* 1. *art.* 1 *ad* 2. ita ratiocinatur: Deus est perfecte liber, Angeli & Beati perfecta fruuntur libertate circa creaturas, circa quas versatur eorum libertas. Sed in Deo, in Angelis, in Beatis nulla indifferentia ad malum, quia peccare nequeunt. Ergo indifferentia ad peccandum ad naturam libertatis non pertinet, sed potius ad ejus imperfectionem. Quare concludit *Angelicus*, perfectiorem esse libertatem in Angelis, in Beatis, qui peccare nequeunt, quam in

hominibus, qui peccare valent.

Prob. 2. pars. Scriptura, & Patres libertatem puri hominis viatoris explicant per indifferentiam ad bonum, & malum: *Potuit transgredi, & non est transgressus, Ecclesiast. cap.* XXXI. Ergo ad ejus accidentarium statum pertinet.

Q. II. *Unde libertatis radix, & origo repetenda sit?*

R. Libertatem arbitrii triplici ex capite repetendam esse, 1. ex immensa voluntatis capacitate, quam nullum objectum implere potest, quam summum Bonum clare visum. 2. Ex activa judicii facultate, quae in quovis objecto ita rationem boni potest concipere, ut & rationem mali sive defectus apprehendere valeat. 3. Ex statu viae, in quo objecta quaeque ita occurrunt intellectui, ut qua parte sunt bona, qua parte deficiunt, mala appareant vel apparere possint. Quod si objectum ab intellectu propositum totam voluntatis potestatem aequaret, ut est amor beatificus, & amor beatitudinis in communi, tunc nullus indifferentiae locus esset; quia intellectus nullam mali speciem in objecto apprehenderet, ratione cujus voluntas posset illud respuere. Haec, quae de humana libertate delibavimus, scitu necessaria nobis visa sunt ad dignoscenda quae sint hominis officia libera, cum haec sola juris tam naturalis, quam positivi directioni subjaceant. CA-

CAP. III.

De Caussis a peccato excusantibus.

QUatuor sunt caussae, de quibus quaeri potest, num involuntarium caussent, ac proinde a peccato excusent. Haec autem sunt *Violentia*, *Metus*, *Concupiscentia*, & *Ignorantia*.

§. I.
De Violentia.

Nota I. Violentia est *motio, cujus principium est extra, nihil conferente eo qui cogitur*. Ita *D. Thomas q.22. de Veritate art.* 1. Duo igitur requiruntur ad violentiam: alterum, quo vis ab agente extrinseco inferatur: alterum, quo qui vim patitur, resistat, & repugnet contraria inclinatione. Quare non sufficit, ut quis negative se habeat, sed requiritur, ut se habeat contrarie, hoc est cum positiva resistentia. Hinc duplex est violentia: *absoluta* & *efficax*, cui omni conatu, quo ad licet, resistitur; & *secundum quid*, cui efficaciter non resistitur.

Nota II. Quaeritur, num actibus voluntatis vis inferri possit, pro cujus in-

telligentia advertendum, duos esse voluntatis actus, unum *elicitum*, alterum *imperatum*. Elicitus est, qui immediate fluit a voluntate, ut est *velle*. Imperatus a voluntate etiam procedit, sed mediante aliâ potentiâ exercetur, ut *ambulare*, *loqui*, qui a voluntate imperantur, sed exercentur mediante potentiâ motivâ. His positis,

Prop. I.

Voluntas vim pati nequit in actibus a se elicitis, potest vero in actionibus imperatis, & ab aliis potentiis producendis.

Prob. 1. pars. Voluntas invita velle nequit. Ergo in actionibus a se elicitis vim pati non potest. Si enim voluntas in actibus elicitis cogi posset, actus esset ex inclinatione voluntatis, quia actus elicitus a voluntate immediate procedit; & esset contra inclinationem voluntatis, quia vis est ab agente extrinseco contra inclinationem voluntatis, quod est absurdum.

Prob. 2. pars. Actiones a voluntate imperatae, & ab aliis potentiis producendae, ut visio, deambulatio &c. possunt ab exteriore potestate impediri. Ergo voluntas in his cogi potest. Voluntas enim dum imperat, ne pes ambulet, ne manus moveatur, ad utrumque ab exteriore vi cogi valet.

Ex his collige, violentiae, quae extrinsecus inducitur, tantummodo subjecta esse membra exteriora, voluntatem vero esse liberam. Prop. II.

Prop. II.

Vis absoluta & efficax, cui resisti non potest, involuntarium caussat, & a peccato excusat.

Prob. Actio, quae fit voluntate omni conatu reluctante, est penitus involuntaria. Atqui actio, quae fit per vim absolutam & efficacem, fit voluntate omnino reluctante. Ergo est involuntaria, ac proinde inculpabilis. Hinc puella, quae omnium virium conatu interius exteriusque suae pudicitiae invasorem rejicit, non peccat si invita violetur, & castitas ei duplicabitur ad coronam.

Dixi, *vis absoluta & efficax, cui resisti non potest*. Nuda enim displicentia non sufficit ad caussandum simpliciter, & excusandum a peccato. Hinc si quis ad ferendum Idolo incensum vi compellatur, licet mente reluctetur, nisi exterius quoad potest repugnet, violentiam non sustinet, neque involuntaria atque inculpabilis actio dicitur. Debet ergo vim passus aggressori exterioribusque potentiis quoad licet resistere.

Illud autem in disputationem vocant Casuistae, num scilicet ad vitandum mortis vel gravis infamiae periculum, liceat aliquod praetermittere medium ad vim propulsandam necessarium. Finge puellam, quae ne a suae pudicitiae invasore occidatur, infametur &c. exterius praetermittat resi-

ſtere vel clamare, & permiſſive tantum ſe habeat, dum ſibi ſtuprum infertur. Affirmant aliqui, quos laudat ac ſequitur quidam Sacrae Scripturae Interpres in *cap.* XIII. *Danielis* 22. qui de caſtiſſima Suſanna, quam impudici ſenes adulterii accuſare minabantur, ſi ejus concubitu ipſos frui non ſineret, haec habet: *Potuiſſet Suſanna in tanto periculo infamiae & mortis negative ſe habere, ac permittere in ſe eorum libidinem, modo interno actu in eam non conſenſiſſet, ſed eam deteſtata & exſecrata fuiſſet; quia majus bonum eſt fama & vita, quam pudicitia: unde hanc pro illa exponere licet. Itaque non tenebatur ipſa exclamare, ut docet Dominicus Soto lib. 5. de Juſtitia q. 1. art. 5. Navarrus Manual. cap. 26. num. 1.*

Hanc vero doctrinam recens quidam Theologus confirmat ex eo potiſſimum, quod feminae quies ea in circumſtantia dici nequeat actio, cum nullo modo ſit poſitiva. Idcirco hujus quieſcentiae permiſſio ex urgenti cauſſa cenſenda eſt potius materialis, quam moralis cooperatio ad peccatum. Hinc modo laudatus Theologus concludit, opinionem hanc, ſpeculative loquendo, ſua probabilitate non carere; licet in praxi non ſuadendam, ob conſenſus periculum, quod adeſſe poteſt in non reſiſtentiae permiſſione. En ſubdola Probabiliſtarum methodus; undique laxas Auctorum opiniones coacervant, quas nec

[ipſi

ipsi amplectuntur, sed incautis lectoribus veluti speculative probabiles proponunt, ut data occasione, &, ut ajunt, quando Confessarius aqua haeret, beneficio Probabilismi praxi inservire possint.

Recensita opinio communiter rejicitur, non solum ut practice improbabilis ob consensus periculum, quo non vacat actio, in qua tam acriter concupiscentia excitatur; verum etiam ut speculative laxa, quippe quae nulla valida ratione nitatur.

Et 1. Vis absoluta & efficax illa est, quae involuntarium caussat, & excusat a peccato. Sed puella, quae omnium virium conatu etiam exterius aggressori non resistit, nequit dici violentiam pati, sed potius agere ex metu, qui non excusat a peccato in his, quae sunt intrinsece mala.

2. Quia non exterior resistentia ea in circumstantia vera est cooperatio, cum nulla alia cooperatio ad turpem congressum requiratur, quam ut femina aggressori exterius non resistat.

3. Tenetur etiam clamare, quando clamor est profuturus, quia si exterius non resistendo consentire censeatur, non clamando etiam consentire videtur, omittendo medium tunc necessarium ad turpem congressum impediendum. Si ergo puella aggressa non resistendo, non clamando, proprie vim non patitur, sed moraliter

coo-

cooperatur, & medium praetermittit hic & nunc necessarium ad peccatum vitandum, a formali peccato non excusatur, etiamsi metu mortis, vel gravis infamiae negative se habeat, cum mori potius debeat, quam pollui.

§. II.
De Metu.

Nota I. *Metus est futuri, vel instantis periculi caussa mentis trepidatio.* In *gravem*, & *levem* tribuitur. Ille est de malo gravi vel absolute, vel respective: Hic est de malo levi, vel si sit de malo gravi, non est tamen probabiliter futurum. Hic autem in jure dicitur *metus vanus*: sicut e contrario *metus gravis* appellatur metus justus, & cadens in constantem virum; quia viri constantes etiam ejusmodi percelluntur metu.

Nota II. Malum grave quod timetur, vel est *absolute* tale, vel *respective*. Malum absolute grave est, quod respectu omnium est tale. Ut mors, membrorum mutilatio, gravis jactura famae, aut bonorum, & id genus similia, sive haec nobis ipsis immineant, sive intime nobis conjunctis, ut parenti, filiis, conjugi. Malum respective grave est quod virum fortem & constantem non commovet, sed attentâ personae quae metum patitur, conditione, est

est ei formidabile. Hinc metus, qui respectu viri levis est, respectu feminae, pueri, senis est gravis.

Ad metum gravem reducitur metus *reverentialis*. Ut cum filius timet gravem & diuturnam parentis offensionem, uxor viri, subditus principis.

Nota III. Aliquid fieri *ex metu* idem non est, ac fieri *cum metu*. Nam ex metu dicimus hominem agere, quando metus est caussa moralis eum movens ad aliquid agendum, vel omittendum. Ut si quis latroni pugione districto aggredienti det pecuniam, ut mortem evitet. Quando vero metus non est caussa, ut homo agat, sed tantum ejus actionem comitatur, dicitur cum metu, non ex metu. Ut latro, qui dum furatur, timet, ne deprehendatur, cum metu agit, non ex metu; quia non metus, sed rei alienae cupiditas illum movet ad furandum.

Prop. I.

Quae fiunt ex metu, sunt voluntaria simpliciter, involuntaria autem secundum quid.

Prob. 1. pars. Illud est simpliciter voluntarium, quod a voluntate cum perfecta cognitione, & electione procedit. Sed quae fiunt ex metu, procedunt a voluntate agente cum perfecta cognitione, & electione. Nam metus etiam gravis non tollit neque cognitionem ex parte intelle-

ctus,

ctus, neque electionem ex parte voluntatis, ut patet in eo, qui ex metu naufragii merces suas projicit in mare. Mercator enim ex gravi & seria consideratione, & consultatione omnium circumstantiarum absolute vult mercium jacturam: Siquidem cognoscit ipse & mercium valorem, & vitae periculum in quo versatur, & actionem projiciendi merces, & tamen libere eligit mercium jacturam, quia plus amat vitam, quam merces.

Prob. 2. pars. Quae fiunt cum aliqua repugnantia, sunt involuntaria *secundum quid*. Sed quae fiunt ex metu, fiunt cum aliqua repugnantia, seu conditionato & inefficaci desiderio merces retinendi. Ergo &c.

Dixi, *ex metu*. Nam quae fiunt cum metu, sunt maxime voluntaria. Ut patet in allato exemplo latronis, ne in furto deprehendatur, cum tamen furtum sit ei maxime voluntarium.

Potest tamen malum imminens quod timetur, ita hominis imaginationem perturbare, ut omnem tollat advertentiam; & tunc actio ex tali metu proficiscens esset involuntaria, sed raro id evenit.

Prop. II.

*Immunes * a peccato non sunt qui ex metu etsi gravissimo aliquid intrisece malum perpetrant; licet sint mitius puniendi, quia metus aliquid malitiae a peccato adimit.* Prob.

Prob. 1. pars. Qui aliquod intrinsece malum perpetrant, licet ex gravissimo metu, nullo modo possunt a peccato excusari. Ergo &c. Non possunt excusari ex parte actus, quia timor ex probatis voluntarium ac liberum non tollit: non ex parte objecti, nam quae sunt intrinsece mala, nulla circumstantia cohonestari possunt. Ergo &c. Hinc nec etiam ex metu mortis licet procurare abortum, duellum acceptare, vel provocare, administrationem Sacramentorum simulare, ut patet ex damnatis propositionibus a Rom. Sede, cum sint intrinsece mala.

Prob. 2. pars. Metus etsi non tollat, minuit tamen voluntarium, ac liberum. Ergo & culpae gravitatem minuit, & facilius delinquenti veniam conciliat. Hinc in Synodo Nicaena I. can. XI. mitior poena constituta fuit iis, qui metu tormentorum, quam qui sponte lapsi erant.

Dixi 1. *aliquid malitiae a peccato adimit*. Nam metus non ita minuit malitiam actus, ut de mortali faciat veniale, ut patet ex *cap.* Sacris *de his quae vi &c.* ubi dicitur: *Licet metus attenuet culpam, tamen non eam prorsus excludit*.

Dixi 2. *quod metus etsi gravis non excusat in his, quae sunt intrinsece mala*. Nam excusat, quando de re agitur contra legem cum gravi damno non obligantem. Hinc ex praxi Ecclesiae, & communi

Do-

Doctorum sensu nemo tenetur ad audiendum Sacrum die festo, ad jejunium, ad recitandas horas canonicas cum periculo valetudinis, vel gravis incommodi. Excipitur, quando metus incutitur ad aliquid agendum contra bonum publicum, vel in contemtum Religionis, vel legislativae potestatis.

Dixi 3. *metus gravis*. Nam metus levis ab ullius legis observantia non excusat, cum sit vanus, & *vani timoris justa excusatio non est*, ut dicit *Regula* 144. *de Reg. jur. in 6.* Quid vero sentiendum de valore contractus ex metu celebrati, vide dicenda *in Tract. de Contractibus cap.* II. §. 2.

§. III.
De Concupiscentia.

Concupiscentiae nomine hîc intelligitur *appetitus sensitivi motus circa bonum sensibile*. Concupiscentia duplex est, altera *antecedens*, quae motum praecedit voluntatis, eamque ad bonum delectabile inclinat: ut cum viso objecto delectabili, voluntas ad ejus desiderium movetur. Altera *consequens*, quae motum voluntatis consequitur, quatenus ex desiderio voluntatis passio concupiscentiae excitatur. De utrâque quaeri potest, an augeat, vel minuat voluntarium, & peccatum.

Prop.I.

Prop. I.

Concupiscentia antecedens voluntarium auget, quatenus naturale; minuit vero, quatenus liberum est.

Prob. 1. pars. Voluntarium quatenus naturale est, inclinationem & propensionem voluntatis in objectum dicit. Sed concupiscentia antecedens auget hanc voluntatis inclinationem & propensionem. Nam quae fiunt ex concupiscentia, fiunt facilius, intensius, diuturnius, adeoque ex majore voluntatis inclinatione; ut patet in eo, qui perdite aliquod delectabile objectum amat.

Prob. 2. pars. Voluntarium quatenus liberum est, judicii indifferentiam postulat. Atqui concupiscentia antecedens hoc judicium obnubilat. Cum enim concupiscentia voluntatem in unam partem rapiat, efficiatque, ut intellectus rationes in oppositum minus perpendat, indifferentiam voluntatis minuit.

Hinc concupiscentia antecedens malitiam peccati minuit. Nam ubi minus est libertatis, ibi minus est meriti, vel demeriti, ut pluribus in locis docet *D. Thomas*, & potissimum *q. 3. de malo art.* 2. Immo si passio antecedens ita hominem arripiat, ut rationis usum omnino impediat, impedit quoque peccatum, cum quod ex ea fit, neque liberum sit, neque voluntarium.

Item primi concupiscentiae motus,

quos

quos invitus patitur homo, non sunt peccata imputabilia. Neque in Decalogi praeceptum, *non concupisces*, impingit qui inordinatos concupiscentiae motus invitus, & non consentiens patitur. Quod constat tum ex Concilio Trid. *sess*. V. *cap*. V. definiente, concupiscentiam non posse nocere non consentientibus; tum ex propositione 75. a *Pio* V. damnata, quae sic se habet: *Motus pravi concupiscentiae sunt pro statu hominis vitiati prohibiti praecepto, non Concupisces*. Et sane praecepto Decalogi, *non concupisces*, non prohibentur primi concupiscentiae motus, quos pro nostro voluntatis arbitrio non habere non possumus: sed vetatur consensus voluntatis, qui est in opus, vel delectationem, ut explicat *D. Thomas* 2. 2. *q*. 122. *art*. 6. *ad* 3. Tenetur vero voluntas his motibus resistere, neque eos admittere, vel approbare juxta illud *Ecclesiast*. V. *Non sequaris concupiscentiam cordis tui: Deus enim vindicans vindicabit*.

Quod si voluntas concupiscentiae etiam antecedentis motibus obsequatur, cum plena tamen deliberatione, & consensu in re graviter illicita, a peccato mortali immunis non erit: cum semiplena vero advertentia, ac deliberatione, a peccato veniali non excusabitur.

Hinc a Theologis triplices distinguuntur motus, nempe *primo-primi*, qui sine ratio-

tionis advertentia, & voluntatis conſenſu inſurgunt, omnique culpa carent. *Secundo primi*, qui fiunt cum ſemiplena advertentia, & ſemipleno conſenſu ſufficiente ad culpam venialem, non vero ad mortalem, & veniali culpa non carent. *Motus plene, & perfecte deliberati*, qui fiunt ab homine ſui compote, & perfecte vigilante, a peccato gravi in re gravi non excuſantur; quia mortale eſt velle & approbare quod graviter ex objecto ſuo inordinatum eſt.

Prop. II.

Concupiſcentia conſequens non minuit, ſed potius auget voluntarium, & culpam.

Prob. Paſſio conſequens actionem non praecedit, ſed conſequitur. Ergo involuntarii cauſſa eſſe nequit, ſed potius auget voluntarium, & culpam. Voluntas enim ſponte ac libere in ſe ardorem excitat circa objectum delectabile. *Paſſio conſequens*, ait *D. Thomas* 1. 2. *q.* 77. *art.* 6. *non diminuit peccatum, ſed magis auget, vel potius eſt ſignum magnitudinis ejus, in quantum ſcilicet demonſtrat intentionem voluntatis ad actum peccati, & ſic verum eſt, quod quando aliquis majori libidine, vel concupiſcentia peccat, tanto magis peccat.*

Hinc peccans ex conſuetudine non retractata, eo gravius peccat, quo propenſius in malum fertur. Quia actus ex habitu ſponte nutrito prodeuntes, ſunt in ſe, & in

& in caussa liberi, adeoque *tanto sunt graviores*, *quanto diutius animam infelicem tenuerint in malum*, ut loquitur Concilium Lateran. III. *Can.* VII. Ex quo concluditur peccata ex habitu aequivalere peccatis malitiae, ut aperte asserit *D. Thomas* 1. 2. *q.* 78. *art.* 2. inquiens: *Manifestum est, quod quicunque peccat ex habitu, peccat ex manifesta malitia*.

§. IV.
De Ignorantia.

Nota I. Ignorantia stricte loquendo est *carentia cognitionis debitae in subjecto capaci*. Appellatur *carentia cognitionis debitae*, ut distinguatur a *nescientia*, quae est privatio cognitionis eorum, quae homo scire non tenetur, vel ad ea aptus non est: ut ignorantia Jurisprudentiae in rustico dicitur nescientia.

Nota II. Ignorantia triplex est, *antecedens*, *concomitans*, & *consequens*. Ignorantia antecedens est, cum quis ex ignorantia aliquid vult, aut facit, ut si ea abesset, neque faceret, neque vellet. E. G. Venator, adhibita sufficienti diligentia ne occideret hominem, amicum occidit, ratus esse feram. Quae quidem ignorantia dicitur etiam *invincibilis* & *inculpata*, quia scilicet, adhibita morali diligentia, superari nequit.

Igno-

Ignorantia concomitans eſt, cum quis ex ignorantia, ſeu potius cum ignorantia ita aliquid facit, ut ſi illa abeſſet, aeque illud faceret. Talis eſt in eo, qui adhibita ſufficienti diligentia ne hominem occideret, inimicum latentem occidit, quem aeque occideret, ſi ibi latere ſciviſſet.

Ignorantia conſequens eſt, quae depelli poterat, & depulſa fuiſſet, ſi voluntas diligentiam adhibuiſſet, & ideo aliter *ignorantia vincibilis* appellatur. Haec autem alia eſt *directe*, alia *indirecte voluntaria*. Directe voluntaria, quae dici ſolet ignorantia *affectata*, eſt cum quis expreſſe veritatem inquirere omittit, ut liberius peccet, & ſine conſcientiae remorſu. Indirecte voluntaria eſt, cum quis ſimpliciter omittit diligentiam, quam adhibere poteſt, ac debet. Quod ſi nulla, aut pro rei qualitate modica diligentia ſit adhibita, dicitur ignorantia *craſſa*, *lata*, *ſupina* &c. Si vero aliqua adhibita ſit diligentia, ſed non ſufficiens, dicitur *non craſſa*. E. G. Si quis in magni momenti negotio, in quo octo diligentiae gradus requiruntur, diligentiam adhibeat ut duo, hic peccat ex negligentia *craſſa* ſeu *ſupina*; quia parum pro nihilo reputatur. Si vero diligentiam adhibeat ut ſex, ejus ignorantia non eſt nec craſſa, nec ſupina; quia praeceſſit diligentia ut ſex, ſeu gravis. Sed quia diligentia gravitati negotii non reſpon-

spondit, ideo erit ignorantia moraliter vincibilis, tametsi neque crassa sit, neque supina.

Praeterea Ignorantia alia est *juris*, alia *facti*, alia *poenae*. Prior est, qua lex, vel praeceptum ignoratur. Posterior cognitionem legis admittit, sed factum ignorat. E. G. Scis legem esum carnis die Veneris vetantem, at ignoras tunc diem Veneris esse. Ignorantia poenae est quae poenam ignorat a lege latam. E. G. Scis prohibitum esse duellum, nescis huic transgressioni excommunicationis poenam esse adnexam.

Demum ignorantia dividitur in *habitualem*, & *actualem*. Illa est cognitionis habitualis privatio, & proprie *ignorantia* dicitur: Haec debitae cognitionis actualis privatio, & melius appellatur *inadvertentia*, *inconsideratio*, *oblivio*. His praenotatis, quaeritur quaenam ignorantia voluntarium, vel involuntarium causset, & a peccato excuset.

Prop. I.

Ignorantia simpliciter antecedens cujuscunque juris, etiam naturalis, voluntarium tollit, & a formali peccato excusat.

Prob. 1. pars. Ignorantia antecedens duo dicit, defectum scilicet cognitionis nullo modo volitum neque in se, neque in caussa, vel periculo, & affectum operi repugnantem in agente. Ita enim dispositus

tus agens supponitur, ut, si ignorantia abesset, opus non poneret. Sed quod procedit sine cognitione saltem interpretativa, & cum affectu, actu, vel habitu operi repugnante, nullo modo est volitum. Ergo ignorantia antecedens voluntarium tollit. Hinc nullo modo voluntaria dici debet occisio hominis ab eo facta, qui adhibitâ sufficienti diligentiâ, feram occidere putans, amicum occidit.

Prob. 2. pars. Non datur peccatum imputabile, nisi sit voluntarium. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quaerere, quod ignoras*, ait *S. Augustinus lib. 3. de libero Arbitrio cap. 3.* Sed quod fit ex ignorantia antecedenti, omnino involuntarium est: cum malitia actus nullo modo cognoscatur neque in se, neque in caussa, vel ejus periculo.

Dixi, *etiam juris naturalis*. Nam actionis malitia invincibiliter ignorata, aeque est involuntaria, si sit contra legem naturalem, quam contra legem positivam: ac proinde aeque a peccato excusare debet. Hinc damnata fuit propositio ab *Alexandro* VIII. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*. Utrùm vero detur ignoratia invincibilis juris naturae, vide dicta in *Tract. de Legibus*.

Ex dictis colliges, eum qui rei licitae operam navat quod ad substantiam, & omnes circumstantias, unâ quam invincibiliter ignorat exceptâ, non peccare. Hinc venator in his circumstantiis, in quibus licite occideret feram, invincibiliter hominem occideret, neque coram Deo esset homicida, neque ab hominibus ut talis puniendus. Item qui dat operam rei illicitae, ut talis cognitae, exceptâ aliquâ circumstantiâ cum ea connexa, cujus malitiam invincibiliter ignorat, non peccat. E. G. Qui hominem occidit, quem invincibiliter ignorat esse Clericum, homicidii reus est, non vero sacrilegii. Ita communiter cum *D. Thoma*.

Quae autem de ignorantia antecedente diximus, ad inadvertentiam, inconsiderationem, & oblivionem, si sint invincibiles, sunt extendenda. Nam eodem modo se habent inadvertentia, inconsideratio, & oblivio ad voluntarium & involuntarium, ac ignorantia habitualis. Nulla enim datur volitio sine cognoscendi potestate. Unde si actualis cognitionis privatio, quam caussat oblivio &c. sit antecedens, & absque hominis voluntate & culpa, involuntarium facit, & a peccato excusat: secus, si sit vincibilis. Confer huc dicta superius de advertentia ad peccatum requisita.

Prop. II.

Ignorantia concomitans actum simpliciter

citer non voluntarium reddit ; ideoque etsi a peccato ratione actus excuset, tamen non excusat ratione malae dispositionis.

Prob. 1. pars. Actio ex ignorantia concomitante procedens non est volita neque in se, cum supponatur invicibiliter ignorata; neque in sua caussa, h. e. in ipsa ignorantia, quae nullatenus est voluntaria. Ergo actum efficit simpliciter non voluntarium.

Dixi, *non voluntarium*. Quia hujusmodi ignorantia nullum connotat affectum actualem, vel habitualem actui repugnantem, ut actio ex ea procedens dici possit involuntaria, i. e. contra voluntatis inclinationem, sed potius non voluntaria, ut advertit *D. Thomas*.

Prob. 2. pars. Actus ex hujusmodi ignorantia proficiscens ex dictis non est voluntarius. Ergo ea de caussa praecise ad culpam imputari non potest. Hinc qui inimicum per ignorantiam concomitantem occidit, revera homicida non est, nec poenis contra homicidas latis subjacet, nec ad damni reparationem ex homicidio secuti tenetur. Quia ejus interna voluntas licet supponatur mala, h. e. disposita ad illum occidendum, si scivisset ibi latere, ad praesentem occisionem nihil influxit. Ergo &c.

Prob. 3. pars. Qui per ignorantiam concomitantem inimicum occidit, gaudium de perpetrata caede libere percipit. Ergo

ex hac libera & mala animi dispositione peccat contra inimicum non voluntarie occisum .

Prop. III.

Ignorantia consequens non affectata actum efficit voluntarium simpliciter, involuntarium secundum quid ; ideoque a peccato formali non excusat, licet aliquid malitiae adimat a culpa .

Prob. 1. pars . Ignorantia consequens est simpliciter voluntaria. Ergo opus, quod ex illa sequitur, est simpliciter voluntarium saltem indirecte & interpretative . Nam qui libere vult caussam, libere vult in illa effectum ejusdem .

Prob. 2. pars . Actus, qui fit ex ignorantia consequenti , est saltem contra aliquam voluntatis inclinationem , cum non sit directe volitus : & agens ita dispositus esse supponitur , ut seclusa ignorantia non ageret. Atqui quod procedit contra aliquam voluntatis inclinationem , est saltem involuntarium secundum quid. Ergo &c.

Prob. 3. pars . Ignorantia consequens voluntarium simpliciter non tollit. Ergo a peccato non excusat. Actio enim quae ex ignorantia vincibili contra legem procedit, est sufficienter volita in debitae diligentiae omissione, ac proinde merito imputabilis ad culpam .

Prob. 4. pars . Diminutio poenae est signum , quod culpa sit minoris malitiae .

Sed

Sed peccantibus ex ignorantia consequenti poena diminuitur. Ergo & in illis minor culpae malitia supponitur. Hoc patet ex illo Christi *Lucae* XII. *Ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

Insuper quod minuit voluntarium, minuit culpam. Atqui ex probatis ignorantia consequens minuit voluntarium. Ergo & culpam.

Nota, Ignorantiam consequentem non adeo minuere culpam, ut ex mortali faciat venialem, quando negligentia addiscendi gravis fuit. Hinc a peccato mortali & quidem gravissimo non excusantur Judaei, qui ex ignorantia Christum Dominum crucifixerunt: & Apostolorum persecutores, qui eos interficiendo, putabant obsequium se praestare Deo. De hac ignorantia ajebat *Augustinus lib. de gratia & libero Arbitrio cap. 3. Neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat... sed fortasse, ut minus ardeat.*

Dixi, *non affectata*. Nam ignorantia affectata voluntarium non minuit, ac proinde neque malitiam peccati, cum agens expresse & directe velit peccandi periculum. Ergo quo liberius *nolunt intelligere, ut bene agant*, *Psal.* XXXV. eo gravius peccant.

Q. *Utrùm ignorantia vincibilis sit secundum se speciale peccatum?*

R. Affir. si sit de iis, quae homo scire tenetur. Prob. ex Scriptura, in qua pro ignorantiae peccatis & poena intentatur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, Oseae* IV. & venia petitur: *Ignorantias meas ne memineris, Psal.* XXIV. & Sacrificium offertur: *Sacerdotes veteris legis sanguinem pro sua, & populi ignorantia offerebant, ad Hebr.* IX. Sed quod vel a Deo punitur, vel ab homine precibus, & Sacrificio expiatur, peccatum sit oportet. Ergo ignorantia per se est peccatum.

Praeterea per ignorantiam vincibilem voluntarie, ac libere omittitur medium ad observantiam legis necessarium, qualis est ipsius legis cognitio, sine qua lex servari non potest. Sed voluntaria & libera omissio medii ad observantiam legis necessarii est peccatum. Ergo &c. Omnis enim & quaelibet lex, quae praecipit finem, media ad finem assequendum necessaria praecipiat necesse est. Adde ignorantiam exponere hominem ad violandam legem toties, quoties urget.

Dices: Si ignorantia esset speciale peccatum, qui ex ignorantia furatur, duo peccata committeret, unum ignorantiae, alterum furti. Quod est absurdum. Ergo &c.

R. Theologos non deesse, qui pec-

can-

cantem ex ignorantia duplicis peccati reum agnoſcunt : Alios vero , fortaſſe melius , diſtinguere hoc modo : ſi ignorantia ſit eorum , quorum cognitio ratione ſui praecipitur , ut ſunt myſteria fidei &c. ſpeciale peccatum erit oppoſitum virtuti , quae in talium rerum cognitione verſatur, ut ignorantia myſteriorum fidei eſt peccatum fidei virtuti oppoſitum. Si vero ignorantia ſit eorum, quorum cognitio non per ſe praecipitur, ſed per accidens, & in ordine ad opus quod praecipitur vel prohibetur, non eſt ſpeciale peccatum . Hinc qui vincibiliter ignorat, diem quo carnem comedit, eſſe diem jejunii, unum peccatum committit contra temperantiam . Nam cognitio jejunii non eſt neceſſaria , niſi ad jejunium ſervandum.

Nota I. Peccatum ignorantiae continuatur , & multiplicatur , ſicut peccatum reſtitutionis debitae. Unde quoties ſe offert addiſcendi occaſio, & negligit homo addiſcere quae tenetur, toties peccat.

Nota II. Praecepti alicujus ignorantia, illudque addiſcendi negligentia unum peccatum conſtituunt, non vero duo ; ſicut actus imperans , & imperatus . Ignorantia enim eſt aliquid imperatum a negligentia. Porro ignorantiae peccatum eo gravius eſt , quo major eſt addiſcendi negligentia , & ignorati praecepti gravitas.

C A P. IV.

De Peccato Mortali, & Veniali.

MOrtale Peccatum gravis est divinae legis transgressio, amicitiam creaturae cum Deo dissolvens, ac peccatorem in aeternum damnans. Veniale vero divinae legis transgressio levis est, quae licet caritatis fervorem minuat, amicitiam tamen cum Deo non dissolvit, neque aeternae poenae hominem reddit obnoxium, sed temporali. Hanc peccati distinctionem, in mortale scilicet, & veniale, de fide tenent Catholici contra *Lutheranos*, & *Calvinistas*, qui propugnant, nullum esse peccatum naturâ suâ veniale, nullum quod damnationem non mereatur; sed discrimen tantum esse ex parte subjecti. Contendunt enim flagitia licet gravissima Praedestinatis non imputari, contra in Reprobis minima venialia esse mortalia.

Prop.

Dantur peccata mortalia, & dantur peccata venialia.

Prob. 1. pars. Dantur peccata, quae in Scriptura *trabi* assimilantur, *Matth.* VII. *Quae, qui talia agunt, digni sunt morte, ad Rom.* I. *Regnum Dei non consequentur,* *ad*

ad Gal. V. Atqui mortalis peccati nomine grave delictum intelligimus aeterna poena dignum. Ergo &c.

Prob. 2. pars. Sunt quaedam peccata, quae in Scriptura *festucae* assimilantur cit. *cap.* VII. *Matth.* in quibus *septies cadit Justus*, *Proverb.*XXIV. Sed peccata, quae festucae assimilantur, in quibus saepe justus cadit, a sua justitia non excidendo, profecto mortalia non sunt. Dantur igitur peccata quaedam, quae venialia dici debent. Merito itaque damnata fuit a *Pio* V. sequens propositio: *Nullum est peccatum naturâ suâ veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

Q. I. *Unde discrimen peccatum inter veniale, & mortale repetendum sit?*

R. Desumendum non esse ex parte peccantis, ut somniarunt Haeretici. Praedestinati enim quoque gravia delicta perpetrantes, graviter peccant, ut patet exemplo *Davidis*, *D. Petri*, pii Latronis &c. neque etiam ex parte divinae voluntatis miserantis, hoc est veniale peccatum non punientis neque in Electis, neque in Reprobis, ut putarunt quidam antiquiores, ut *Gersonius*, *Armainus*, aliique. Nam Scriptura, & Patres hujusmodi discrimen non repetunt ex Misericordia Dei, qui veniale peccatum aeterna poena non punit: sed aut ex materiae levitate, aut ex consensus defectu, aut ex aliis rationibus, quae suo loco expendentur.

Aſſero, *Peccatum mortale naturâ ſuâ a veniali differre*.

Prob. Nam peccatum veniale in Scriptura aſſimilatur feſtucae, feno, ſtipulae, quae ex ſe ſunt aliquid leve: mortale vero trabi, gladio &c. quae ex ſe & naturâ ſuâ aliquid grave ſunt. Ergo &c. Inſuper peccata mortalia ex ſe dominantem creaturarum amorem in animam inferunt; minime vero venialia, quae a Patribus parvi morbi appellantur.

In quo ergo repoſitum eſt hujuſmodi diſcrimen?

R. Docere quoſdam in hoc repoſitum eſſe, quod mortale ſit contra praeceptum, veniale vero contra conſilium tantum. Sed perperam. Homo enim ſub peccato ſequi conſilia non tenetur, neque actio contra conſilium eſt peccatum. Hinc Apoſtolus I. *ad Cor.* VII. poſtquam dixerit: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, Conſilium autem do*, ſubjungit: *Si nupſerit virgo, non peccat*. Alii vero hoc admittunt diſcrimen, quod peccatum mortale ſit contra legem, veniale vero praeter legem. Sed contra: In quolibet peccato etiam veniali inordinatus ineſt amor creaturae, qui eſt contra Dei legem aeternam, quae ordinem ſervari jubet, & pertubari vetat.

Aſſero, *Peccatum mortale in eo praeciſe differre a veniali, quod per mortale ſimpliciter finis ultimus in creatura conſtituitur;*

tur; per veniale vero secundum quid.

Prob. Peccatum mortale in animam inducit amorem creaturae praedominantem, quo anima totis viribus creaturae inhaeret, suumque ultimum finem in creatura simpliciter constituit. Veniale vero licet inducat in animam aliquem inordinatum creaturae amorem, non vero dominantem. Unde per peccatum veniale anima creaturae inhaeret *secundum quid*, i. e. non habitualiter, & totis viribus, sed actualiter, & aliquo modo. Hinc juxta explicationem *D. Thomae*, peccatum mortale adversatur habitui caritatis, veniale vero ejusdem caritatis actui. Illud habitum caritatis, & gratiam sanctificantem corrumpit: Hoc fervorem caritatis minuit, & teporem inducit.

Q. II. *Quibus Regulis mortale peccatum a veniali possit discerni?*

R. I. *S. Augustinus lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 8. mortalia a venialibus secernere difficillimum esse testatur tum ob mentis caecitatem praesertim circa mortalia, tum ob naturae corruptionem, pravasque consuetudines, quae non regulâ veritatis, sed cupiditate res metiri permittunt.

R. II. Regulae, quae a sanioribus Theologis assignantur, ut peccati mortalis a veniali differentiam dignoscamus, sunt sequentes.

Prima est quod mortalis a veniali pec-

cato discrimen desumatur 1. quoad fieri potest a Scriptura, Traditione, & Ecclesiae definitionibus, a quibus recedere nefas est. *Quae enim sint levia, quae gravia peccata*, ait *Augustinus*, *non humano*, *sed divino sunt pensanda judicio*. 2. A communi Doctorum consensu, a quo recedere summe periculosum est. 3. A ratione, fidei principiis innixa.

Hinc secunda Regula: Quae in Scriptura a Regno Dei dicuntur excludere, & morte aeterna digna, iisque *Vae* comminatur, mortalia sunt judicanda.

Tertia: Quae justis legibus gravi poena castigantur, gravia censenda sunt.

Quarta: Quae ex se grave damnum inferunt vel ipsi operanti, vel alteri tertio, pro gravibus criminibus habentur.

Contra, pro veniali habendum quod ex iisdem fontibus habetur, cum oppositorum eaedem sint rationes. Hinc ab illa commentitia & arbitraria Laxorum Regula cavendum omnino est, ea nimirum esse mortalia, quae mortalia existimasti; ea venialia, quae tu pro venialibus habes.

Q. III. *Utrum peccatum mortale nonnunquam fieri possit veniale, & contra?*

Nota: Peccatum potest esse mortale, vel veniale duobus modis, per se & naturâ suâ, & per accidens. Dicitur *per se*, quando consideratur independenter a quibusdam circumstantiis exterioribus, quae actui ad-

ve-

venire possunt. Appellatur vero *per accidens*, quando consideratur dependenter a quibusdam circumstantiis extrinsecis, quae vel ex parte peccantis, vel ex levitate materiae se habent.

Assero I. *Peccatum mortale in veniale transire per accidens potest*.

Prob. Tria ad peccatum mortale requiruntur; *perfecta* scilicet *advertentia*, *plenus consensus*, & *materiae gravitas* saltem ex fine, ob quem res praecipitur, vel prohibetur. Unâ ergo ex tribus hisce conditionibus deficiente, peccatum mortale deficiat necesse est. Hinc si ad malitiam actus non plene advertas, quia semisopitus; vel non perfecte desiderio vindictae, impudicitiae &c. assentiaris, quia ex subita & vehementi passione turbatus, fere nesciveris, quid ageres, ad peccatum grave tibi non imputatur; quia deest deliberatio plena, deest plenitudo consensus. Item si aliquid parvi momenti fureris, puta pomum, assem, deest materiae gravitas.

Nota, gravitatem materiae in quolibet peccato eodem modo non metiendam esse. Aliquando enim materia gravis est ratione sufficientis quantitatis, ut in furto gravi. Aliquando gravis est ratione finis gravis, quo res praecipitur, vel prohibetur. Sic comestio fructus vetiti in Adamo gravis fuit, licet in se levissima, ob intentionem legislatoris, qui creaturae suae subjectionem hoc obe-

obedientiae actu experiri volebat. Aliquando vero est gravis, licet materialiter levis, quia tota deformitatis quantitas in quolibet actu reperitur, ut videre est in peccatis, quae directe contra Deum committuntur: ut sunt odium Dei, desperatio, haeresis, blasphemia, perjurium assertorium etiam de re levi, simonia, fractio sigilli sacramentalis Confessionis. Nam quolibet horum actuum graviter laeditur caritas, spes, fides, Religio &c. ac proinde integra irreverentia divinae majestati irrogatur. Item quae naturae rationali maxime disconveniunt materiae parvitatem non admittunt, quia quilibet horum actus gravem deordinationem continet, ut ebrietas, delectatio venerea extra conjugium. Hinc damnata propositio ab *Alexandro* VII. *Est probabilis opinio, quae dicit tantum esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis*. Item actus, qui graviter proximo adversatur, ut homicidium injustum, duellum intentatum, iniqua membri abscissio, grave peccatum est, nec ratione materiae veniale evadere potest.

Hinc colliges I. celebrem peccati ex genere suo gravis divisionem in peccatum ex toto genere suo grave, & in peccatum non ex toto genere suo grave. Primum est illud, intra cujus objectum sive materiam

teriam non datur aliquid ex se leve; qualia sunt peccata directe contra Deum, ut supra dictum est. Secundum est illud, intra cujus objectum sive materiam datur aliquid ex se grave, & leve, ut accidit in furto.

Hinc colliges II. Peccatum ex toto genere suo grave non transire in veniale, nisi ex imperfectione actus, advertentiae scilicet, & consensus; nunquam vero ex parte materiae, cum materiae parvitatem non admittat.

Assero II. *Peccatum veniale fieri mortale potest per accidens.*

Prob. Ut actio venialiter mala evadat mortalis, sufficit, si ei addatur circumstantia mortaliter mala. Atqui hoc fieri potest, & quotidie fit in sequentibus casibus. Ergo &c.

Sex communiter assignantur modi, quibus haec ex veniali in mortale fieri possit transitio. Et I. quidem ratione *finis adjuncti*: ut si quis mentiatur ad grave damnum alteri caussandum. II. Ratione *dispositionis actualis*, quam quis habet ad peccandum mortaliter: sive qui peccat, ita actu affectus sit, ut quod facit, adhuc faceret, etiamsi sciret illud esse peccatum mortale; sive ex conscientia erronea credat id esse mortale, quod solum veniale est. III. Ratione *contemtus formalis*, ut si quis etiam in re levi obedire superiori re-

renuat; cum absolute nolit se illi subjicere, aut ideo obedire praecepto nolit, quia praeceptum est. In his enim, ut patet, formalis inobedientiae includitur peccatum. IV. Ratione *gravis scandali*; quod quis ex peccato suo levi secuturum praevidere debet: ut si quis leviter alium irrideat, praenoscens fore, ut ille vehementer irascatur. V. Ratione *periculi*, quando quis ex actione venialiter mala novit, se proximum periculum peccandi mortaliter incurrere: ut si quis saepius in desideria turpia relabatur ex otioso colloquio cum persona diversi sexus habito. VI. Ex *additione materiae*, ut accidit in furto, in jejunio, in horarum canonicarum recitatione, in quibus parvae repetitae transgressiones moraliter coalescunt vel in notabile proximi damnum, ut in furto; vel in notabilem rei praeceptae omissionem, ut in officio divino.

Nota. Ut dignoscatur, quandonam repetitae de parvis materiis transgressiones grave peccatum efficiant, haec traditur regula. Si plurium transgressionum parvae materiae neque in se, neque in aliquo effectu ab ipsis producto moraliter uniantur & coalescant, sed divisae maneant; tunc omnes, & singulae transgressiones veniales sunt, quae nunquam peccatum mortale efficere possunt.

Sint exempla. Si quis quotidie in Quadra-

dragesima extra statutum tempus frustulum panis comedat: vel si opifex singulis diebus Dominicis per horae quadrantem operi servili incumbat. Item si Clericus quotidie per negligentiam aliqua verba in officio recitando omittat; hae repetitae transgressiones veniales sunt, quia moraliter in se non uniuntur, cum praecepta jejunandi, abstinendi ab opere servili, horas canonicas recitandi singulos dies afficiant, & una cum die transeant. Unde qui hodie leviter peccat, non transgreditur idem praeceptum, quod heri venialiter transgressus est.

Si vero plurium transgressionum parvae materiae inter se, & secundum aliquem effectum ab ipsis productum moraliter uniantur & coalescant; tum grave peccatum habetur, quando ultimae transgressionis materia licet in se parva, propter ordinem tamen & connexionem cum antecedentibus, aliquid grave reputatur.

Sint exempla. Si quis eodem jejunii die saepius modicum quid comedat, vel saepius eodem die festo serviliter laboret, vel si interruptis vicibus in eodem officio canonico plures psalmos omittat: Item si quis repetitis vicibus modicam quantitatem furetur, neque restituat, cum ad notabilem rei alienae quantitatem perveniat, graviter peccat; quia hae parvae materiae moraliter coalescunt, & notabilem ejusdem praecepti omissionem, vel grave proximi da-

damnum caussant. Item graviter peccat qui per modicos excessus in cibo, aut potu advertit graviter laedere suam valetudinem: Item juxta aliquos gravem materiam conficiunt notabiles parvae eleemosynae omissiones, quam quis quotidie pauperibus distribuendam voverat. Demum num aliqua rei praeceptae pars gravis sit, an levis, spectanda est tum absolute & secundum se, cum in ordine ad totum.

Ex dictis colliges I. eundem numero actum moralem ex veniali in mortale successive transire non posse; cum peccatum mortale, & veniale specie essentiali distinguantur. Idem vero actus physicus potest successive ex veniali fieri mortale, si cum semiplena deliberatione incipiat, & postea evadat plene deliberatus.

Colliges II. Plura venialia unum peccatum mortale efficere non posse. 1. Quia per peccata venialia a Dei gratia non excludimur, ut docet Tridentinum *Sess.* XIV. *cap.* 2. Quia citra culpam in Sacramentali Confessione venialia reticeri possunt, ut docet idem Concilium. Sed neutrum consistere posset, si plura venialia unum efficerent mortale, quo & gratiâ Dei excluderemur, & ad eorum remissionem Poenitentiae Sacramentum foret necessarium. Adde, quod peccata venialia cum sint inferioris ordinis, quantumcunque multiplicentur, peccatum mortale nequeunt attingere,

gere, quod est ordinis superioris, & essentialiter differt a veniali. Quod si plurium transgressionum parvae materiae, cum ad notabilem quantitatem perveniant, unum efficiant mortale peccatum, hoc non provenit, quod multa minuta furta ex se venialia efficiant unum peccatum mortale: sed quod repetiti furti parvae materiae in notabile proximi damnum coalescant, ad quod cum quis advertat pervenire, sine gravi peccato prosequi non potest.

Colliges III. Patrum testimonia, & praesertim *Augustini*, qui *Tract.* 12. *in Joan.* haec scribit: *Plura minuta peccata si negligantur, occidunt: quemadmodum minuta grana avenae, si multa sint, premunt atque opprimunt: & aqua paullatim per sentinam intrando, si non exhauriatur, mergit navim:* intelligenda esse dispositive, ut explicat *D. Thomas* 1. 2. *q.* 88. *art.* 4. cui subscribunt omnes Theologi, quatenus scilicet multa venialia si negligantur, & continuentur, sensim disponunt hominem ad mortale juxta illud *Ecclesiastici* XIX. *Qui spernit modica, paullatim decidet*. Peccata enim venialia fervorem per se minuunt caritatis, timorem Dei, & horrorem peccati, divinis inspirationibus obicem ponunt, & ad violandam legem in gravioribus hominem disponunt. Immo graviores Theologi docent, mortaliter peccare qui proponeret solum mortalia vitare, ad omnia occurren-

rentia venialia committenda paratus. Ratio est, quia deliberate se exponeret apertissimo graviter peccandi periculo. Ut ergo ab his repetitis & quotidianis maculis caveamus, summa vigilantia, & diligentia necessaria est.

CAP. V.

De Commissionis, & Omissionis Peccato.

COmmissionis peccatum est transgressio praecepti negativi, quo ne aliquid mali fiat, prohibetur, ut furari, fornicari &c. *Omissionis* vero peccatum est violatio *praecepti affirmativi*, quo aliquis actus bonus jubetur: ut audire Sacrum, jejunare &c.

Heic autem tria quaeri possunt. 1. An culpabilis detur omissio absque omni voluntatis actu. 2. An actus, qui est omissionis culpabilis caussa, sit peccatum, & malitiam habeat ab ipsa omissione distinctam. 3. Utrum quis peccet tantum, cum caussam omissionis ponit, an etiam cum opus praeceptum omittit.

Prop. I.

Omissio culpabilis non datur, quin aliquis voluntatis actus praecedat, qui ejusdem

dem caussa sit vel occasio.

Prob. Ut omissio sit culpabilis, voluntaria & libera sit necessum est. Sed nihil omnino est liberum sine aliquo voluntatis exercitio. Ergo omissio culpabilis non datur absque omni voluntatis actu.

Prop. II.

Omnis actus, qui culpabilis omissionis voluntaria caussa est vel occasio, est peccatum ejusdem malitiae, ac ipsius omissionis malitia: secus, si non sit illius caussa vel occasio.

Prob. 1. pars. Quo praecepto jubetur actus omissus, eodem prohibetur voluntaria omissionis caussa, vel occasio. Praeceptum enim ut sit efficax, eo ipso quod aliquid praecipit, omne id quod ejus observantiam impedit, vetet necesse est. Ergo &c.

Hinc qui die festo Sacrum deliberate omittit; ut studeat, non solum mala est omissio audiendi Sacrum, sed etiam malum est studium, quod est caussa omissionis.

Dixi, *peccatum ejusdem malitiae, ac ipsius omissionis malitia.* Actus enim, qui est omissionis caussa vel occasio, eidem praecepto adversatur, ac ipsa culpabilis omissio; ac proinde eandem omissionis malitiam contrahit.

Nota. Actus, qui est omissionis caussa vel occasio, si bonus vel indifferens sit, unam eandemque cum omissione culpabili malitiam habet: puta studium in casu allato

est

est malum, quia est caussa omittendi Sacrum. Ergo solam omissionis malitiam contrahit. Si vero actus qui est omissionis caussa, aliunde sit malus: ut si quis ob furtum Sacrum omittat, duplicem tunc malitiam habet actus: neque seorsum, sed simul confitenda sunt ambo peccata. Ita communiter.

Prob. 2. pars. Actio quae omissionis caussa, vel occasio non est, nullo modo in ipsam omissionem influit. Ergo non habet, unde malitiam accipiat. Sit exemplum. Decernit aliquis die festo Sacrum non audire: post hanc deliberationem dat operam studio, quo tempore deberet praeceptum implere: eo peracto tempore studium malum non est, cum per accidens ad omissionem se habeat, neque in eam influat. Ita multi.

Nota, ut aliquid in omissionem culpabilem non influere censeatur, non sufficere, si tantum voluntatis deliberationem subsequatur, sed requiri, ut subsequatur totam omissionis caussam tum internam, tum externam. Do exempla. Clericus navigans, firmiter decrevit non recitare horas canonicas: post hanc deliberationem Breviarium in mare projicit. Haec Breviarii projectio in omissionem influit, cum Clericum ad recitationem divini officii impotentem constituat. Poterat enim Clericus deliberationem non recitandi horas cano-

no-

nonicas retractare, & praeceptum implere. Hinc peccat, non solum cum omissionem horarum proponit, sed etiam cum actu in mare projicit Breviarium. Contra, Decrevisti die Dominico abesse Sacro; recta aliquo pergis, ubi Sacro adesse nullo modo potes: en adaequatam omissionis caussam. Interea temporis operam navas venationi, piscationi &c. hi actus nullo modo in omissionem influunt.

Prop. III.

Qui culpabiliter omissionis caussam ponit, peccat non solum quando caussam ponit culpabilem, sed etiam quando accidit omissio; etsi non sit sui compos.

Prob. 1. pars. Qui deliberate omissionis caussam ponit, censetur velle *indirecte*, vel saltem *interpretative* omissionem ipsam. Qui enim vult caussam, vult & effectum qui ex illa sequitur. Praeterea quod praeceptum omissionem vetat, idem & caussae illius positionem prohibet. Hinc qui die festo primo mane it cubitum, praevidens se somno sepultum iri usque ad vesperam, licet casu excitetur a somno, & Sacro praesentem se sistat; peccat tamen contra Religionem, non quod Sacro adesse omiserit, sed quod caussam illius omittendi praebuerit.

Prob. 2. pars, nimirum omissionem in caussa culpabilem imputari etiam, quando urget praeceptum, etsi agens non sit sui compos, puta prae somno vel ebrieta-

te.

te. Prob. Ut aliquid sit in se & formaliter peccatum, sufficit ut sit voluntarium & liberum in caussa. Sed omissio scilicet Sacri, quae accidit in somno, vel ebrietate, in caussa voluntaria & libera est. Ergo non solum in caussa, sed & in se peccatum est. Major prob. ex eo, quod si quis voluntarie se inebriet, praevideatque se Clericum occisurum, contrahit excommunicationem eo instanti, quo homicidium perpetrat, etsi non sit sui compos. Ergo eo instanti peccat. Ita *Salmanticenses*, Scholastici, & Morales, *Contensonius*, aliique non sordidi Theologi.

Ex dictis sequitur, in Confessione manifestandas esse omnes omnino actuales omissiones, non vero solum culpabilem earum caussam. Atque hic est sensus & praxis fidelium communis. Quod quidem eo vel maxime est necessarium ad exponendam peccati gravitatem, damnum tertii, obligationemque restituendi, vel ob censuras, aut periculum contrahendi.

Q. I. *An peccata Commissionis, & Omissionis specie different inter se?*

R. Affir. Nam licet eidem virtuti ex eodem motivo adversentur, ei tamen modo notabiliter diverso opponuntur; ut patet in odio Dei, quod est alterius speciei ab omissione caritatis. Verum si peccatum commissionis sit omissionis fundamentum, utrumque ejusdem erit speciei: ut patet

in

in eo, qui furatur, & non restituit.

Q. II. *Num Commissionis peccatum gravius sit peccato Omissionis?*

R. Affir. Nam ceteris paribus, magis est inordinatum, ac legi Dei, & rectae rationi disconveniens, facere quod non debes, quam non facere quod debes. Sic gravius peccatur per odii actum, quam per omissionem actus amoris Dei, licet eidem virtuti caritatis opponantur. Hinc qui utriusque reus esset, Confessionis integritati non faceret satis, si diceret: bis peccavi contra debitam Dei caritatem.

CAP. VI.

De Peccatis mere Internis, quae scilicet interius perficiuntur absque ullo opere externo.

VOluntatis affectus, sive actus *prosecutivus* circa objectum illicitum triplex est, *desiderium*, *gaudium*, & *delectatio morosa*. Desiderium est volitio exsequendi quod cogitatum est. Gaudium est complacentia de malo opere patrato. Delectatio morosa est deliberata complacentia de pravo opere cogitato sine exsecutionis intentione. 1. Dicitur *morosa*, non a temporis mora qua durat,

sed a voluntate quae libere in ea moratur. Peccatum enim internum unico instanti perpetrari potest. Distinguitur autem a desiderio, quia desiderium opus ipsum anhelat, atque cupit, ac proinde tempus respicit futurum: Delectatio vero ab operis exsecutione praescindit, & de objecto per imaginationem praesenti reddito delectatur, ac tempus respicit praesens. Differt denique a gaudio, quod respicit tempus praeteritum. De hoc triplici voluntatis affectu hîc agendum est.

§. I.
De Desiderio Malo.

Nota: Desiderium pravum vel est *efficax*, quando exprimitur per verbum *volo*; vel *inefficax*, quando exprimitur per verbum *vellem*. Insuper vel est *absolutum*, quando absolute & simpliciter voluntas opus malum anhelat; vel *conditionatum*, quando voluntas rem malam cupit sub conditione, si mala non esset. De quolibet ex his concupiscendi modo quaeritur, an, & quale peccatum sit.

Assero I. *Quodlibet absolutum de re mala desiderium sive efficax sit, sive inefficax, est peccatum ejusdem gravitatis & speciei, ac res ipsa mala desiderata*.

Prob. Quia prava desideria deliberata prohibentur praecepto divino, *non concupisces*,

ſces, juxta communem Eccleſiae ſenſum. Hinc Chriſtus *Matth.* V. ajebat: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam moechatus eſt eam in corde ſuo.* Praeterea quodlibet deliberatum deſiderium eſt elicitus amoris actus. Sed *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, Pſal.* X. Ergo &c.

Dixi 1. *quodlibet deſiderium ſive efficax, ſit, ſive inefficax.* Nam ad peccandum non requiritur conſenſus efficax in opus; alioqui approbans alterius crimen ſine voluntate illud patrandi, non peccaret contra illud Apoſtoli *ad Rom.* I. *Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Dixi 2. *ejuſdem gravitatis & ſpeciei, ac res ipſa mala deſiderata.* Nam omnis actus internus malitiam & ſpeciem ſumit ab actu externo, tanquam ab objecto. Hinc deſiderium licet inefficax occidendi, fornicandi &c. peccatum grave eſt contra juſtitiam, contra caſtitatem &c. Deſiderium vero leviter proximo nocendi, erit veniale.

Aſſero II. *Deſiderare opus prohibitum ſub conditione, ſi prohibitum non eſſet, non eſt peccatum ſaltem mortale, ſi conditio malitiam auferat ab objecto: ſecus, ſi conditio ab objecto malitiam non ſeparet.*

Prob. 1. pars. Quia poſita conditione, objectum deſinit eſſe illicitum, ac proinde per ſe peccatum non eſt illud deſiderare.

 Sit

Sit exemplum: carnes comederem, si non esset hodie ab Ecclesia vetitum.

Dixi, *saltem mortale*. Quia ejusmodi desideria sunt semper otiosa, ac proinde culpa saltem veniali non carent. Quin imò adest grave periculum, ne voluntas reapse appetat objectum non praecisum, sed concretum.

Prob. 2. pars. Quia quando ab objecto sub conditione concupito malitia non separatur, tunc voluntas fertur in objectum ut malum, quod nullo modo appetere licet. Sit exemplum. Vellem fornicari, si non essem in Sacris.

Q. *Quandonam conditio malitiam ab objecto auferat?*

R. Quando agitur de re intrinsece mala, conditio ab objecto malitiam non tollit; quia impossibile est, rem intrinsece malam non esse vetitam. Quando vero de re agitur extrinsece mala, tunc si conditio sit possibilis, ut in rebus jure positivo, vel etiam jure naturae vetitis, sed in aliqua circumstantia licitis; stante circumstantia, objectum licitum evadit. E. G. Hunc furem morte multarem, si essem judex.

§. II.
De Delectatione Morosa.

Nota. Delectari quis potest vel de rei ma-

malae cognitione, vel de artificioso rem malam patrandi modo, vel tandem de ipsa re mala cogitata. De hoc triplici objecto quaeritur, an sit illicita Delectatio.

Assero I. *Delectari de rei malae cognitione, secundum se peccatum mortale non est, quando sola cognitio seu notitia absolute accepta, est delectationis objectum.*

Prob. Rei malae cognitio per se mala non est. Ergo licet de ea delectari. Imo rei turpis cogitatio aliquando est bona, si adsit justa caussa, studii scilicet, consultationis &c. cum abominatione tamen objecti: aliquando est venialis, si fiat ex curiositate: aliquando etiam est graviter mala, si fiat cum consensus periculo. Ita *D. Thomas* 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. Theologi, Confessarii, aliique, qui rebus turpibus student, ut suae castitati consulant, oppositis actibus sese muniant. In hoc enim misero statu, & in hac tam lubrica materia quaecunque delectatio periculum habet in rem turpem consentiendi.

Assero II. *Delectatio deliberata de solo modo artificioso malum patrandi, qui ex se malum non est, vel de aliqua ejus circumstantia insolita, non mala tamen: per se loquendo non est mortalis.*

Prob. Objectum hujus delectationis non est malum. Ergo saltem graviter non peccat qui de eo delectatur. E. G. Si quis praecise delectetur de modo, quo quis in-

geniose alium decepit, ut ejus crumenam surriperet, graviter non peccat; cum delectationis hujus objectum sit artificiosus & industrius furandi modus, qui ex se malus non est.

Dixi 1. *de modo, qui ex se malum non est*. Nam si modus esset malus, de eo delectari non liceret.

Dixi 2. *per se loquendo non est mortalis*. Hujusmodi enim delectatio interdum culpa veniali non caret ob otiositatem, vel curiositatem.

Assero III. *Morosa de re mala delectatio est peccatum: mortale quidem, si ipsa res mala sit mortalis; veniale vero, si res mala sit venialis, etiamsi nulla sit operis perficiendi voluntas. Ita communiter cum D. Thoma.*

Prob. *Nullus delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus*, ait *D. Thomas* 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. i. e. nullus delectatur de eo, quod non amat. Sed rem illicitam amare peccatum mortale est; si res amata sit mortalis, ut fornicatio; veniale vero, si sit venialis, ut leve proximi damnum. Ergo &c.

Q. I. *Num delectari liceat de actione hic & nunc vetita, sed quae fuit, vel erit aliquando licita?*

R. cum distinct. Si de re intrinsece mala agatur, non licet delectari. Ratio est, quia cum delectatio morosa actus sit pra-

cti-

ctus, objectum prosequitur prout est hic & nunc; ideoque si hoc est intrinsece malum, cum a malitia praescindi nequeat, delectatio versari non potest circa illud, nisi sub ratione mali. Hinc a gravi peccato non excusantur sponsi, qui de futura copula morose delectantur, vel vidui de praeterita; quia cum copula, matrimonio non constante, fit fornicatio, delectatio est de objecto hic & nunc graviter, & intrinsece malo.

Si vero agatur de re extrinsece mala, seu lege positiva vetita, ut si quis de carnibus die jejunii comestis delectetur, non est graviter illicita delectatio, dummodo violationem praecepti non habeat pro objecto. Ratio est, quia objectum cum non sit intrinsece malum, praescindi potest ab ejus malitia, & delectari de eo, non sub ratione malitiae: hae tamen delectationes aliquo inordinato affectu non carent, ac proinde immunes non sunt a culpa veniali.

Q. II. *An delectatio morosa speciem sumat ab objecto, circa quod versatur?*

R. Affir. Nam ideo morosa delectatio est illicita, quia objectum est illicitum, & quo pejus est objectum, eo pejor erit ejus delectatio. Ac proinde in Confessione delectationis objectum, ejusque circumstantiae sunt explicandae, ut major, vel minor peccati gravitas a Confessario dignosci possit.

§. III.

De Gaudio seu Complacentia de malo opere patrato.

Hîc quaeritur, 1. an liceat gaudere de malo opere vel inculpabiliter perpetrato, in somno scilicet, vel in ebrietate; vel tanquam caussa boni effectus secuti. 2. An liceat gaudere de effectu bono secuto ex opere malo.

Assero I. *Illicitum est gaudere de opere malo inculpabiliter perpetrato, puta de homicidio commisso in somno, vel ebrietate.*

Prob. Non licet deliberate gaudere de objecto hîc & nunc malo. Sed qui gaudet de opere malo, licet fuerit sine peccato commissum, deliberate gaudet de objecto hîc & nunc malo. Ergo ejusmodi opus nequit honesti gaudii esse objectum. Hinc homicidium in somno perpetratum, fornicatio ex errore inculpabili commissa, non laetitiae, sed tristitiae justa caussa est.

Assero II. *Etsi gaudeat aliquis de malo opere perpetrato non per se, sed tanquam boni effectus caussa; erit tamen hujusmodi gaudium illicitum.*

Prob. Non licet scienter velle & procurare quod in se malum est ad bonum effectum assequendum. Ergo non licet gaudere de actione, quae in se mala est, cum fuerit boni effectus caussa. Hinc merito da-

damnatae fuerunt ab *Innocentio* XI. sequentes impiae Casuistarum propositiones. 1. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas*. 2. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas*.

Assero III. *Licet per se loquendo gaudere de effectu bono secuto ex opere malo*.

Prob. Hujus gaudii objectum non est malum. Ergo nec ipsum gaudium ex eo susceptum. Hinc licet gaudere de hereditate obtenta ex morte alterius, si non gaudeat de caussa, h. e. de morte.

Dixi, *per se loquendo*. Nam hujusmodi delectationes periculo non carent, ut recte advertunt *Salmanticenses*.

Nota: Sicut non licet gaudere de malo; sic & dolere de bono. Aeque enim rectae rationi & divinae legi opponitur odisse bonum, & amare malum ejus oppositum.

§. IV.

De Resistentia ad pravas cogitationes necessariâ, praesertim in re turpi.

Quod hîc in disputationem vocant Theologi, est 1. num per se loquendo adsit obligatio positive resistendi pravis cogitationibus, pravisque concupiscentiae motibus;

bus; an vero sufficiat ejusmodi motibus negative se habere, eos neque approbando, neque reprimendo. 2. Num, fervente concupiscentia, turpibusque motibus animum vexantibus, sufficiat sola interna displicentia, non deferendo actionem, quae hujusmodi motus excitat.

Assero I. *Peccat mortaliter per se loquendo qui post sufficientem advertentiam negative se habet in motibus turpibus, eos neque approbando, neque reprimendo. Ita communiter Theologi cum D. Thoma* 1. 2. *q.* 74. *art.* 6.

Prob. I. Quia ex Trid. *sess.* V. *can.* V. ut concupiscentia non noceat, requiritur ex divina gratia fortis repugnantia. Sed repugnantia positivum dissensum connotat, non vero simplicem consensus negationem. Ergo &c.

Prob. II. Qui positive post sufficientem advertentiam pravis cogitationibus non resistit, praenoscit, vel praenoscere debet periculum positive consentiendi. Ergo ad hoc periculum vitandum requiritur positivus dissensus. Nam est moraliter impossibile, diu negative se habere ad objectum vehementer alliciens.

Prob. III. Peccat graviter qui negative se habet ad motus turpes ab alio circa se excitatos. Ergo graviter peccabit, si negative se habeat ad ejusmodi motus a Daemone, a naturae corruptione excitatos.

Di-

Dixi, *per se loquendo*. Nam occurrere possunt rationabiles caussae, cur licita possit esse positivi dissensus suspensio. Et 1. quidem si quis legitime timeat, ne ex majore resistentia pravi motus augeantur. 2. Quando desistendum esset ab honesto officio, puta Theologi, Confessarii &c. tunc contemnendae sunt tentationes. 3. Ob mentis infirmitatem interdum dissuadenda est positiva reluctantia, ut meticulosis, scrupulosis, quibus potius contemtio suggestionum necessaria est.

Advertendum, hominem aut tentationes contemnentem, aut mentem alio divertentem, aliaque cogitantem, minime negative se habere, sed reapse resistere non directe, sed indirecte. Quae quidem indirecta resistentia saepe prudentior, & utilior est ipsâ directâ, spectatâ personarum diversitate.

Assero II. *A peccato mortali immunis non est qui etsi interne dissentiat, actionem tamen non dimittit, qua motus turpes vehementer excitantur; nisi adsit justa caussa eam non dimittendi.*

Prob. Voluntas resistendi pravis motibus sincera, & efficax sit oportet. Sed qui etsi interne dissentiat, actionem tamen non dimittit, qua motus turpes vehementer excitantur, sinceram, & efficacem voluntatem resistendi non habet. Ergo &c. Non habet quidem resistendi voluntatem *efficacem.*

cem: nam si voluntas in hac pugna cum concupiscentia esset efficax, non desereret sponte medium efficax pravos motus cohibendi, dimissionem scilicet actionis concupiscentiam acriter excitantis. *Non sinceram*; nam credibile non est, non appetere voluntatem motus carnales vehementer excitatos, cum sponte, & nulla omnino justa ratione occurrente, illorum caussam foveat. Hinc facile crederem, internam illam displicentiam sinceram non esse resistentiam, sed voluntatis fallaciam illis motibus frui volentis.

Hinc colliges, hominem sub mortali teneri, actiones etsi leviter turpes, ut sunt visus, locutio, lectio rerum leviter obscenarum, ex sola curiositate dimittere, statim ac in se excitant vehementem delectationem carnalem. Ita graves Theologi.

Dixi 1. *nisi adsit justa caussa eam non dimittendi*. Justae autem caussae censentur equitatio, Confessionum auditio, librorum lectio ob finem comparandae scientiae, & id genus similes. Tunc sufficit vera, & interna displicentia, alioquin homines deberent semper esse anxii, & multa bona opera omittere.

Dixi 2. *qua motus turpes vehementer excitantur*. Nam qui per actionem inutilem levibus motibus tantum occasionem praeberet, crederem non peccare mortaliter, dummodo turpem delectationem non

in-

intendat, & grave absit periculum consentiendi. Ita cum *Sylvio Colet*, aliique.

C A P. VII.

De Septem Peccatis Capitalibus.

SEptem numerantur a Scholasticis post *D. Thomam* 1. 2. *q.* 84. *art.* 4. peccata Capitalia, videlicet *Superbia*, *Avaritia*, *Luxuria*, *Ira*, *Gula*, *Invidia*, & *Acedia*. Dicuntur *capitalia*, cum aliorum peccatorum fons & origo sint. Appellantur quoque *mortalia*, non ex eo quod semper mortalia sint, sed quod ex ipsis tanquam ex radicibus mortalia oriantur. De singulis pauca agemus.

§. I.
De Superbia.

Q. I. *Quid sit Superbia?*

R. Superbia ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 162. *art.* 6. *est inordinatus appetitus propriae excellentiae.*

Dicitur 1. *appetitus* i. e. amor, desiderium, complacentia. 2. *Inordinatus*, cum superbus nolit iis quibus debet, subjici: atque praesumtuose appetiat quae supra conditionem suam sunt. 3. *Excellentiae propriae*

priae i. e. propriae perfectionis, quam prae ceteris superbus habet, vel se habere existimat.

Q. II. *Num Superbia grave sit peccatum?*

R. Affir. Et quidem gravissimum tum ex parte aversionis a Deo, ex eo potissimum *quod non vult Deo, & ejus regulis subjici. Unde Boëtius dicit, quod cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit. D. Thomas* loc. laud. tum ex eo, quod multorum criminum fons & caput sit.

Q. III. *Quot sint Superbiae species?*

R. Duae potissimum. Prima est quae dicitur *perfecta*, i. e. si quis ita excellere appetat, ut Deo, superioribus, eorumque legibus nolit subjici. Haec ex genere suo est peccatum mortale, quia graviter laedit Dei, & proximi caritatem.

Altera *imperfecta* appellatur, quando scilicet homo non renuit subjici iis, quibus debet, sed tantum in se intumescit ac gloriatur. Haec ex genere suo venialis est; quia non est gravis inordinatio, nec graviter repugnat caritati, quod homo plus justo se efferat, agnoscendo se omnia Deo debere.

Dixi, *ex genere suo*. Si enim elevatio isthaec cum notabili aliorum contemtu fiat, complacendo in aliorum abjectione, est grave peccatum.

§. II.

§. II.
De Avaritia.

Q. I. *Quid sit Avaritia?*

R. Avaritia *est inordinatus amor divitiarum.*

Q. II. *Num Avaritia sit peccatum mortale?*

R. Cum distinct. Si conjuncta sit cum injustitia rem alienam auferendi aut retinendi, vel cum duritia non subveniendi proximum: in extrema vel gravi necessitate, est peccatum mortale ex genere suo: cum justitiam, aut caritatem, aut misericordiam laedat; nisi imperfecta deliberatio, aut levitas materiae excuset.

Si vero in amore erga divitias inordinato tantum consistat, tunc est mortale, quando affectus adeo est inordinatus, ut ultimum finem suum in divitiis constituat; secus, est veniale. De Avaritia contra proximum vide dicenda in *Tract. de Caritate, & Justitia.*

§. III.
De Luxuria.

Q. I. *Quid sit Luxuria?*

R. Luxuria *est inordinatus voluptatis venereae appetitus.*

Q. II. *Quale peccatum sit Luxuria?*

R. Ex-

R. Extra matrimonium ex genere suo semper esse peccatum mortale: In matrimonio vero peccatum esse mortale, quando per se opponitur prolis generationi. Omnis autem alia actus conjugalis inordinatio peccatum veniale ut plurimum non excedit. Sed de his vide dicenda in *Tract. de Temperantia*, & *de Matrimonio*.

§. IV.
De Ira.

Ira generatim sumta est *vindictae appetitus*, ac proinde aliquid indifferens: quia vindicta ut illicite, sic licite appeti potest. Quin imo peccat qui juste non irascitur. *Si ira non fuerit*, ajebat *Chrysostomus*, *nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Itaque qui ex caussa non irascitur, peccat.* Justae irae omissionis reus fuit *Heli*, qui filiorum vitiis non iratus est, I. *Reg.* II.

Q. I. *Quid sit Ira?*

R. Ira est *inordinatus vindictae appetitus*.

Q. II. *An, & quale peccatum sit Ira?*

R. Cum distinct. Si concipiatur Ira ex *affectu vindictae*, quae a *D. Thoma Ira per vitium* dicitur; est peccatum mortale, cum caritati & justitiae opponatur: nisi excusetur ob actus imperfectionem.

Si vero concipiatur ex *affectu justitiae*, quae

quae ab eod. Doctore dicitur *Ira per zelum*, est peccatum, quoties exceditur *in modo*, grave vel leve juxta circumstantias.

Hinc qui ob delictum commissum in se vel in alios, malum alicui appetat publica auctoritate inferendum ob justitiam, & legum observationem, aut deliquentis correctionem, & publicam auctoritatem & exemplum, non peccat; cum iram concipiat ex affectu justitiae.

Contra peccat si nimis immoderate effervescat, vel majore quam mereatur, poenâ plecti petat: vel non servato ordine justitiae, vel ob finem privatum: vel principaliter in malum delinquentis. Quia licet ira ex affectu justitiae concipiatur, exceditur tamen in modo.

§. V.
De Gula.

Q. I. *Quid sit Gula?*

R. Gula est *inordinatus edendi & bibendi appetitus*, ut ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 148. colligitur.

Dixi, *appetitus inordinatus*. Nam ut optime advertit *D. Thomas* loc. laud. *art.* 1. *Non quilibet appetitus edendi & bibendi pertinet ad gulam, sed qui recedit ab ordine rationis*, quatenus *aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis scienter excedat mensuram in edendo*. Apposite *Augustinus*

lib.

lib. 10. Confess. cap. 31. Omnia munda mundis, sed malum esse homini qui per offensionem manducat; & omnem creaturam bonam esse, nihilque abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.

Porro qualitas, & quantitas cibi & potus accommodata esse debet statui, conditioni, facultati, infirmitati, personarum necessitati, loco, ac tempori. *De quantitate autem cibi & potus*, ait *S. Antoninus part. 2. tit. 6. cap. 1. §. 5. non potest dari una certa regula omnibus secundum eandem mensuram. Sed plus & minus exigitur secundum varietatem complexionum & fatigationum. Unus etiam & idem plus indiget uno tempore quam alio, secundum dispositionem sui corporis .... Tantum ergo potest & debet quis comedere & bibere, quantum credit se indigere ad sustentationem & exsecutionem eorum, quae sibi incumbit agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat. Cum autem ex delectatione cibi vel potus plus sumit, quam sibi dictat conscientia opportunum, tum peccat.* Paucis sese expediens *Augustinus* loc. supra laud. ait alimenta sumenda esse sicut medicamenta.

Q. II. *Quale peccatum sit Gula?*

Gula in duas species tribuitur, in *commessationem*, & *ebrietatem*. Illa in immoderata cibi, haec in nimia potus sumtione consistit.

R. Com-

R. Commessatio praecisa ab ebrietate in multis casibus est peccatum mortale.

Prob. I. Quia Apostolus *ad Gal.* V. *commessationes & ebrietates* recenset in ea, quae *qui agunt*, *Regnum Dei non consequentur*.

Prob. II. Quia reipsa multi sunt casus, in quibus Gula avertit a *fine ultimo*, ut ait *D. Thomas*, ideoque a gravi culpa excusari non potest. Et 1. quidem ratione affectus graviter deordinati, ponendo suum ultimum finem in cibi & potus oblectationibus, ita ut venter pro Deo habeatur, juxta illud *ad Philipp.* III. *Quorum Deus venter est*. Idque locum habet, etiamsi solum interpetrative hoc fiat. Ut cum quis ex affectu gulae paratus sit peccare potius mortaliter, puta furari, debita non solvere, familiam suam ad egestatem redigere, valetudini corporis sui graviter nocere &c. quam moderato victu uti. 2. Si quis praevideat crapulam peccati E. G. adulterii caussam fore. 3. Qui ob solam voluptatem ad vomitum usque se cibo & potu ingurgitat, & reipsa ad vomitum se provocat, ut iterum epulari possit. Hoc enim secluso scandalo & ebrietate, gravem continet deordinationem. Quare qui ita se gerunt, brutis animantibus deteriores judicandi sunt. 4. Si quis ex gula notabiliter ineptus fiat ad functiones, ad quas sub mortali tenetur. 5. Demum si quis gulae caussâ ecclesiastica jejunia violet.

Quid

Quid si quis comedat & bibat etsi moderate ob solam voluptatem?

R. Ut minus venialiter peccare, cum medium in finem transmutet. Ciborum enim finis sustentatio est vitae, sapor vero medium, quo sibi sumtio facile redditur. Quaerere ergo per se & directe voluptatem in cibo, est naturae ordinem pervertere. Quod autem in favorem gulae docuerunt recentiores Casuistae, damnavit *Innocentius* XI. seq. propositione num. 8. *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

Extra casus vero modo recensitos gula non est, nisi peccatum veniale, ut docet *D. Thomas* loc. supra laud.

Q. III. *Quot modis excessus gulae committatur?*

R. Quinque modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisite. 3. Si plus justo. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisite praeparata. Recensiti modi hoc versu comprehenduntur: *Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*

Q. IV. *Quid sit Ebrietas?*

R. Ebrietas est *potus sumtio ad violentam usque privationem usus rationis.*

Ebrietas dicitur *privatio violenta*, ut distinguatur a privatione naturali usus rationis, quae a somno inducitur.

Q. V.

Q. V. *Quale peccatum sit Ebrietas?*

R. Cum *D. Thoma Lect. 3. in cap.* XIII. *epist. ad Rom.* ebrietatem ex genere suo esse peccatum mortale: quando scilicet dedità operà inebriatur homo, cum vini delectationem rationis integritati praeferre videatur.

Quare non licet se inebriare ad evitandam mortem ab alio intentatam: Item ad pellendam infirmitatem: Alium item inebriare ad elicienda secreta, quae alter manifestare tenetur: Custodem item inebriare, a quo injuste in carcere detineris. Ratio est, quia ebrietas quovis modo intentata ac procurata, semper naturae rationali disconvenit. Neque dicas ebrietatis malitiam in excessu voluptatis vini caussà tantum consistere. Quamvis enim voluptas in nimio potu non intendatur: ebrietas tamen per se peccatum est, sicut & fornicatio.

Ut autem ebrietas sit mortalis, sufficit ut sit voluntaria directe vel interpretative. Hinc peccant qui bibunt quantum possunt aut rogantur, nihil curantes, num ebrietas sequatur, nec ne.

Ebrietas perfecta & consummata cognoscitur, 1. quando quis non novit discernere inter licitum & illicitum, vel non potest solita officia exsequi. 2. Quando quis postridie non meminit quid dixerit, egeritque, cum domum redierit. 3. Si ea fecit quae nunquam integra mente solet, si prae-

praeter morem verba obſcena protulerit, domum turbarit, uxorem verberarit. Verum regula generalis, quâ quinam exceſſus ſit peccatum mortale, dignoſcatur, vix aſſignari poteſt; ideoque ab exceſſu magnopere quiſque ſibi cavere debet, ne periculo excedendi ſe exponat.

Porro mala in ebrietate culpabili commiſſa ſi praeviſa fuerint ut veroſimilter ſecutura, vel praevideri potuerint, imputantur ad culpam. Vide *D. Thomam* 1. 2. *q.* 77. *art.* 7.

§. VI.
De Invidia.

Q. I. *Quid ſit Invidia?*

R. Invidia eſt *triſtitia de alterius bono, prout eſt propriae excellentiae diminutivum.*

Q. II. *Num Invidia ex genere ſuo ſit peccatum mortale?*

R. Affir. Quia per ſe caritatem laedit, & *ad Gal.* V. inter peccata a Regno Dei excludentia numeratur. Poteſt tamen eſſe veniale ratione imperfectionis actus. Nam, ut recte advertit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 36. *art.* 1. *In quolibet genere peccati mortalis inveniuntur aliqui imperfecti motus* ſeu ratione ſui, ſeu ratione materiae, *quae* ſolum *ſunt peccata venialia*. Ideo Invidia in quibuſdam caſibus non eſt, niſi peccatum veniale.

Q. III.

Q. III. *An omnis displicentia de bono alterius sit Invidia?*

R. Neg. Invidia enim proprie committitur, cum quis de bono alterius tristatur, quatenus ab illo in eo bono aequatur, vel superatur, & sic imminuitur propria excellentia, aut gloria.

Q. IV. *An omnis displicentia de bono alterius sit peccatum, & quale?*

R. I. Si displicentia de bono alterius ex invidia vel odio oriatur, ex genere suo peccatum mortale est: cum hujusmodi actus caritati opponatur.

II. Si ex timore proveniat, quod scilicet ex alterius potestate sibi vel aliis damnum timetur, peccat, si motivum non sit justum. E. G. Tristatur quis de electione alterius in judicem, a quo utpote recto justam timet punitionem, peccat, cum non sit justum motivum; secus, si ab eo indebitam timeret punitionem utpote non recto.

III. Si ex indignatione procedat, quod nimirum bonum ab indigno possideatur, peccat si hoc faciat ex querela divinae Providentiae, eam arguendo, quod peccatoribus temporalia bona largiatur, & bonos affligat: secus, si de humana justitia quereretur.

IV. Si ex aemulatione proficiscatur, cum scilicet quis moeret, non quod bonum possideatur ab alio, sed quod non possi-

possideatur etiam ab ipso. Non peccat, si bonum est dolenti proportionatum: secus, si sit illi improportionatum. Vide *D. Thomam* 2. 2. *q.* 36. *art.* 2.

§. VII.
De Acedia.

Q. I. *Quid sit Acedia?*

R. Acedia est *de re spirituali fastidium*. Ex genere suo est peccatum mortale, cum opponatur caritati. Nam ait *Angelicus* 2. 2. *q.* 35. *art.* 3. *Proprius affectus caritatis est gaudium de Deo: Acedia est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum.*

Q. II. *An semper mortaliter peccet qui bonum spirituale fastidit?*

R. Cum distinct. Si fastidium sit de re praecepta, peccatum grave est, quoties materia est gravis: si vero sit de re non praecepta, est peccatum grave, quoties adest contemtus etiam in materia levi.

Ratio est, quia quando violatur praeceptum, & contemtus abest, Acedia est contra caritatem, sed indirecte: ideoque materiae parvitatem admittit. Quando vero adest contemtus utpote directe contra caritatem, parvitatem materiae non admittit.

Hinc qui ex taedio omittit Sacrum, jejunium die debito, peccat graviter, cum sit

ſit materia gravis. Contra peccat leviter, ſi faſtidiat, impleatque vel non adimpleat in materia levi.

Qui faſtidit Miſſam die non debito, utpote aliquid inutile, peccat graviter; quia licet non ſit de re praecepta, adeſt tamen contemtus. Contra peccat venialiter qui talia reſpuit tanquam ſibi oneroſa & incommoda; cum ſit de re non praecepta, & abſit contemtus.

TRACTATUS

DE FIDE, SPE, ET CARITATE.

Virtutes Theologicae ita dictae, quod immediate circa Deum versentur, tres sunt, Fides, Spes, Caritas; quae basis sunt & fundamentum universae Religionis. Complectuntur enim principaliora christiani hominis officia erga Deum praesertim, ut observat *Augustinus Enchir. cap.* 121. eorumque cognitio ad pleniorem divinae legis intelligentiam sternit viam. De singulis hisce virtutibus in praesenti tractatione agendum est.

PARS I.

PARS I.

De Fide.

A Fide auspicamur, quippe quae humanae salutis initium est, fundamentum, & radix omnis justificationis, ut docet Tridentinum *sess.* XVIII. *cap.* 8. Atque hanc primam tractationis partem tribus capitibus absolvemus: in quorum primo de Fidei natura, & divisione; in altero de necessitate Fidei actus tum internos tum externos eliciendi; in tertio de vitiis virtuti Fidei oppositis agemus.

CAP. I.

De Fidei Natura, & Divisione.

Fides communiter definitur, *Virtus theologica divinitus infusa, qua veritatibus a Deo revelatis, & ab Ecclesia propositis firmiter assentimur.*

Explicatur definitio. Dicitur 1. *virtus*; quia subjectum perficit, tum elevando intellectum credentis ad cognitionem eorum, quae lumine naturae assequi nequit; tum voluntatem ad finem in quem tendere debet, dirigendo.

Dicitur 2. *theologica*; quia Deum habet pro objecto materiali saltem primario.

Dicitur 3. *divinitus infusa*. Fides enim naturae viribus non comparatur, sed a Deo gratiae auctore infunditur. Hae autem recensitae definitionis particulae loco generis sunt. In hoc enim convenit fides cum reliquis virtutibus theologicis.

Dicitur 4. *qua veritatibus a Deo revelatis firmiter assentimur*: quae quidem voces differentiam Fidei a Spe & Caritate produnt. Fides enim Deum respicit velut omnis veritatis fontem: ceterae vero ceu summum Bonum Deum intuentur.

5. Denique dicitur, *ab Ecclesia propositis*. Divina enim revelatio per Ecclesiae propositionem nobis constat.

Q. I. *Quodnam sit objectum materiale Fidei, seu id quod credendum proponitur?*

R. Primario ipsum Deum esse, secundario cetera revelata. Deus enim omnium primum sese hominibus credendum revelavit, cetera vero propter seipsum, ut observat *Angelicus* 2. 2. *q.* 1. *art.* 1.

Q. II. *Quodnam sit Fidei objectum* formale quod, *seu perfectio illa, quam fides prout a ceteris theologicis virtutibus distincta a Deo attingit?*

R. Essentialem ipsam veritatem esse, seu Deum ipsum, prout est prima veritas. In

In hoc enim discrepat Fides a duabus aliis virtutibus theologicis, quae Deum attingunt, prout est summum Bonum.

Q. III. *Quodnam sit Fidei objectum formale quo, seu medium, quo revelata credimus?*

R. Primam esse veritatem in dicendo, seu divinam revelationem. Fides enim, quae, Apostolo teste, ex auditu concipitur, alio testimonio inniti nequit, nisi divino seu divina veritate, quae nec fallere, nec falli potest. Ergo medium quo revelata credimus, solum est divinum testimonium; adeoque sola divina revelatio, seu prima veritas in dicendo est Fidei objectum *formale quo.*

Hinc collige, quam certus firmusque sit Fidei christianae assensus, qui uni divinae revelantis Veritatis innititur auctoritati.

Q. IV. *Undenam nobis constet divina revelatio, seu quânam viâ cognoscamus, quae Deus omnibus credenda reseravit?*

R. Ecclesiae propositione. Ecclesia enim organum est atque instrumentum, quo Deus hominibus suam patefecit voluntatem, suaque reseravit arcana.

Hinc collige resolvi Fidem in divinam revelationem, tanquam in suum verum atque unicum principium, seu rationem formalem, qua credimus: in aucto-

ritatem vero Ecclesiae, tanquam in conditionem, sine qua nobis constare certo nequit, aliquem articulum esse revelatum; ac proinde in materiis fidei recurrendum esse ad Ecclesiae propositionem juxta tritum illud *Augustini: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret Auctoritas.*

Q. V. *Num mysteria Fidei sint evidenter credibilia?*

R. Affir. Argumenta enim, quae Fidei articulos dignos qui credantur, evincunt, urgentia sunt, & maxima.

Porro *credibilitatis motiva* seu argumenta, quae articulorum Fidei praeseferunt credibilitatem, sunt 1. Prophetiae: 2. Miracula, quae omnes superant naturae vires, quaeque ad christianam Religionem confirmandam Deus operatus est: 3. Admirabilis modus, quo christiana doctrina propagata est: 4. Doctrinae sanctitas: 5. Doctorum consensus: 6. Et Martyrum fortitudo.

Q. VI. *Quomodo dividatur Fides?*

R. Dividitur I. in *habitualem*, & *actualem*.

Habitualis est *virtus infusa, quae nos permanenter habiles reddit ad actus Fidei eliciendos cum actualis gratiae auxilio.*

Fides vero actualis est *assensus supernaturalis firmus & certus, omnem excludens dubitationem, datus rebus revelatis* pro-

propter Dei revelantis auctoritatem.

Porro Fidei actus vel exterius per verba, aut alia signa se prodit, & *Fides exterior* dicitur; vel interius in corde perficitur, ibique remanet, & *Fides interior* appellatur.

Dividitur II. in *explicitam*, & *implicitam*. Illa dicitur explicita, *qua articulus specialis, & determinatus creditur*, puta Trinitas personarum. Ea vero appellatur implicita, *qua generatim omnibus a Deo revelatis, & ab Ecclesia propositis assentimur, nulla determinatione facta ad hunc, vel illum articulum in specie, seu non cogitando de aliquo articulo in particulari.*

Dividitur III. in *formatam*, & *informem*, seu vivam, & mortuam. Fides formata & viva ea est, *quae gratiâ habituali, & caritate alitur, & fovetur*. Informis & mortua est, *quae gratiâ habituali, & caritate destituitur*. Illa in justis, haec in peccatoribus reperitur.

Nota. Cum in homine caritas, sive amor Dei super omnia deficit, non ideo Fidem necessario deficere definivit Tridentinum *sess.* VI. *can.* 28. his verbis: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti: aut fidem quae remanet, non esse veram fidem, licet viva non sit: aut eum qui fidem sine Caritate habet, non esse Christianum; anathema sit.*

Error quem damnavit Concilium, revixit in seq. propositione proscripta ab *Alexandro* VIII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.* Damnatam hanc propositionem sic explicat eruditissimus *S. Augustini* discipulus *Leonardus Van-Roy Tract. de Fide cap.* 1. *q.* 7. *object.* 4. *resp.* 2. *Desinente in hominibus mortaliter peccantibus caritate justificante, fidem quoque tam habitualem, quam actualem perire.*

Porro destructâ per peccatum mortale caritate justificante, seu amore Dei super omnia, fidem habitualem in homine permanere, & ex ea verum fidei actum, seu assensum supernaturalem elici posse profitemur. Hoc sensu damnatae thesis ad S. Sedem accusatores intellexisse, idem Theologus testatur.

Triplicem porro Fidei actum juxta triplicem ordinem, quo theologica Fides Deum spectat, distinguit *D. Thomas* 2. 2. *q.* 2. *art.* 2. nimirum *credere Deo*, *credere Deum*, *credere in Deum*. Credere Deo est Deo revelanti assentiri. Credere Deum est credere Deum esse. Credere in Deum est credendo tendere in Deum, tanquam in ultimum finem.

Hinc collige discrimen theologicam fidem inter, & fidem, qua Daemones etiam credere dicuntur, *Jacobi* II. 19. Haec enim

enim quaedam veritatis extorta convinctio est, omni dilectione Dei destituta: Illa vero voluntarius assensus est, quo intellectus in primae Veritatis obsequium captivatur; ideoque ab Apostolo *ad Philipp.* II. 17. *sacrificium & obsequium vocatur*: neque unquam sejungitur a pio aliquo credulitatis affectu in primam veritatem. Et sane 1. cum Fides ex Tridentino principium & radix sit omnis justificationis, aliquem etiam in actu suo christianae justificationis characterem habeat necesse est. Et quidem ex *Augustino* gratia ipsa, cujus effectus est Fides, proprie est inspiratio dilectionis, initialis quidem, & in tenuissimo saltem gradu. 2. Pium credulitatis affectum initium fidei dixit Arausicana Synodus II. 3. Idem docuit Concilium Tridentinum *sess.* V. *cap.* 6. *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata sunt.* Atqui liberum voluntatis motum alicujus dilectionis initium esse patet. 4. Neque intellectus revelatis assentitur nisi ex imperio voluntatis, juxta *D. Thomam* 2. 2. *q.* 2. *art.* 9. in C. Neque imperat voluntas, nisi aliquo affectu boni moveatur ad imperandum aliquo dilectionis initio. 5. Virtus theologica in Deum fertur ut finem; nec enim alius actui finis praestitui potest,

nisi Deus ipse. Atqui sine aliquo affectu, aliquo amore non fertur voluntas in Deum. Ita *Steyartius Lovaniensis* contra Novatores.

CAP. II.

De Actus Fidei Necessitate.

Nota I. IN rebus ad salutem necessariis duplicem distinguunt Theologi necessitatem, *medii* unam, alteram *praecepti*.

Necessarium dicitur necessitate medii, sine quo salus obtineri nequit, etiamsi illius omissio sit innoxia. Nuncupatur vero necessarium necessitate praecepti, quod ita imperatum est, ut sine eo finis obtineri nequeat, nisi rationabilis caussa excuset.

Jam vero quod necessarium est necessitate medii, necessarium est etiam necessitate praecepti: sed non contra.

Necessitas autem praecepti adultos duntaxat ligat, quia solum in actibus humanis locum habet. Necessitas medii parvulos quoque adstringit, & in rebus quae actus non sunt, obtinet locum: ut liquet ex baptismate, & habitu gratiae, sine quibus salus haberi nequit.

Nota II. De Fide habituali in praesen-

sensu ne verbum quidem faciam. Nulli enim dubium, quin Fidei habitus necessitate medii ad salutem sit necessarius: cum sine sanctificante gratia haberi aeterna salus nequeat, neque haec sine Fidei habitu infundatur. Heic vero de Fide Actuali quaestio est respectu adultorum duntaxat, cum infantes, licet nullius virtutis actus compotes, per baptismum compotes fiant salutis.

Nota III. Haec Fides actualis, de qua nobis est sermo, alia *interna* est, quae in assensu veritatibus a Deo revelatis praestito consistit: alia *externa*, quae in externa Fidei consistit confessione, ore, vel opere, vel alio sensibili signo manifestata. De utriusque actus necessitate hic agendum est.

Sectio I.
De Interioris Actus Fidei Necessitate.

Nota. De interiore Fidei actu tria hic expendemus, necessitatem scilicet, objectum, & tempus, quo obligatio urget illum eliciendi.

§ I.
De Interioris Fidei Actus Necessitate.

Prop. Unica.

Adultis omnibus ratione praeditis necessarius est necessitate tum medii, tum praecepti interior Fidei actus ad salutem.

 Prob.

Prob. 1. pars. Nullus adultus ratione praeditus, salutem consequitur sine propria cooperatione. Salus enim aeterna tanquam merces, & corona laboris a supremo judice confertur. Sed divinae gratiae cooperandi principium pro aeternae salutis consecutione est Fides. *Nam sine Fide impossibile est placere Deo*, *ad Hebr.* XI. Ergo necessaria est necessitate medii cuique adulto actualis fides, ut possit suae aeternae saluti cooperari.

Prob. 2. pars. Exstat in Scriptura Fidei praeceptum speciale: *Credite Evangelio*, *Marci* I. & *cap. ult. Qui non crediderit, condemnabitur*. Atqui non pro habitibus, sed pro actibus praecepta dantur. Ergo Fides quae in Scriptura imperatur, actualis sit oportet. Merito igitur *Innocentius* XI. audaciam repressit eorum, qui tollere de medio mandatum istud tentarunt, cum damnavit hanc propositionem: *Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, & secundum se.*

§. II.
De Objecto Fidei, seu de rebus explicite credendis.

Prop. I.

Quocunque tempore adultis omnibus necessaria semper fuit explicita Fides Dei auctoris supernaturalis, & remuneratoris, seu

vitae

vitae aeternae largitoris necessitate medii ad salutem.

Prob. Ex Apostolo *ad Hebr.* XI. *Sine Fide impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Eo loci Apostolus loquitur de fide, sine qua impossibile est placere Deo, quaeque spectat Deum non simpliciter, sed ut remuneratorem. Sed Fides supernaturalis ex divina revelatione procedens, Deum spectat ut aeternae vitae auctorem & remuneratorem. Ergo ea fides explicita quocunque tempore necessaria semper fuit adultis necessitate medii ad salutem.

Hinc proscripta thesis ab *Innocentio* XI. quae sic se habet: *Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

Collige, Fidem necessariam ad salutem supernaturalem esse tum ex parte principii, gratiae scilicet intellectum illustrantis, & voluntatem adjuvantis; tum ex parte objecti, nempe Dei auctoris bonorum caelestium.

Prop. II.

Post Adae peccatum adultis omnibus actualis Christi Redemtoris Fides necessaria semper fuit, & est necessitate medii ad salutem: diversimode tamen pro ratione temporum, implicite scilicet saltem sub lege Mosis, & naturae; explicite vero sub lege Evangelica.

Prob.

Prob. Homo pro ratione ſtatus in quo verſatur, ſalutis viam noſſe debet. Sed Chriſtus ſolus via eſt quae ducit ad vitam, ut ipſe teſtatur *Joan.* XIV. *Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Ergo Chriſtum homo noſſe debet, ut poſſit ad ſalutem aeternam pervenire; diverſimode tamen pro ratione ſtatus, nempe explicite poſt ſufficientem Evangelii promulgationem, implicite ſaltem ſub lege Moſis, & naturae.

Noſtram aſſertionem aperte tradit *Angelicus* 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *Myſterium Incarnationis aliqualiter oportuit omni tempore eſſe creditum apud omnes, diverſimode tamen ſecundum diverſitatem temporum, & perſonarum.*

Hinc idem S. Doctor ibid. docet, ante Chriſti adventum in lege ſive naturae, ſive ſcripta, exceptis quibuſdam qui majores ſapienteſque dicebantur, qui fidem Chriſti explicitam habuerunt, reliquos ſive Iudaeos, ſive Ethnicos ſalutem aeternam conſequi potuiſſe fide Chriſti tantum implicita. Quia Fides haec ſufficienter promulgata non erat, ſed ſub figurarum typorumque cortice Chriſti latebat Incarnatio. Sublato vero figurarum velamine per Evangelium expreſſam Incarnationis fidem requiri. Cum enim perfectior ſit ſtatus gratiae, perfectiorem quoque Chriſti notitiam requirit. *Poſt tempus*

au-

autem gratiae revelatae, ait eod. loco *Angelicus*, *tam majores*, *quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi*.

Prop. III.

A promulgatione Evangelii non solum Incarnationis, *sed & Trinitatis explicita Fides adultis omnibus necessaria est necessitate medii ad aeternam salutem assequendam*.

Prob. I. Quia explicita Incarnationis Fides ex probatis necessaria est necessitate medii: Haec autem haberi nequit sine explicita Trinitatis Fide. Ergo &c. Ita ratiocinatur *D. Thomas* 2. 2. *q.* 2. *art.* 8. *In Mysterio Incarnationis hoc continetur*, *quod Filius Dei carnem assumserit*, *quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit*, *quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit . . . & ideo etiam post tempus gratiae divulgatae tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis*.

Prob. II. Quia mysterium Trinitatis primarium est nostrae Fidei objectum, in ejusque expressa invocatione baptizamur. Ergo explicite est credendum.

Hinc colliges I. nunquam contingere posse, ut post sufficientem Evangelii promulgationem quisquam justificetur, & salutem assequatur absque expressa Christi, & Trinitatis Fide. Quod si eveniat, ut aliquis notitiam habeat Dei auctoris, & finis

finis supernaturalis absque expressa Christi, & Trinitatis fide, per hoc non salvabitur. Nam si Christi notitia desit, culpa hominis id provenit. Nisi enim homo divinae misericordiae obicem posuisset, Deus instructorem mitteret, a quo mysterium Christi edoceretur. Ita *D. Thomas in* III. *dist.*25. *q.* 2. *art.* 2. *quaestiun.* 2.

Colliges II. rudes, & quosvis alios obtusi & hebetis ingenii, semper ac sint rationis compotes, teneri ad expressam Trinitatis, & Incarnationis notitiam. Hi enim qui rudes, & hebetes dicuntur, satis in humanis rebus habent ingenium, ut alios decipiant, & se decipi non patiantur. Quidni ergo cum Dei auxilio id praestent, quod solis naturae viribus, vel diaboli ope quotidie exsequuntur?

Idem dicendum, servata proportione, de mutis, ac surdis, qui per imagines & signa rudem aliquam mysteriorum nostrorum notitiam haurire possunt. Ita non ignobiles quidam Theologi. Potestas enim Fidei veritates percipiendi non ex solis humani ingenii viribus repetenda est, sed ex supremi praesertim Numinis clementia, quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat.

Quod si quis adeo debili ingenio sit, ut quantumcunque nitatur, Fidei mysteria percipere nequeat, laudati Theologi docent, istum se habere, quantum ad hoc, sicut

sicut parvulum, qui sine ullo fidei actu salvatur.

Colliges III. Ignoranti mysteria Incarnationis, & Trinitatis negandam esse absolutionem sacramentalem; cum ad Poenitentiae sacramentum incapax sit, atque ineptus. Ideoque si quae factae sint Confessiones cum hac ignorantia, repetantur oportet. Atque ex hoc evincitur, quam merito propositio haec ab *Innocentio* XI. damnata sit: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysteria Sanctissimae Trinitatis, & Incarnationis*.

Q. *Ut quis explicitam Trinitatis, & Incarnationis Fidem habere dicatur, an veritatum omnium, quae ad ea mysteria attinent, notitia requiratur?*

R. Neg. Sed satis est, ut explicitam habeat trium Personarum distinctarum Fidem, credatque secundam Personam, filium nempe Dei, hominem factum, mortuum, & a mortuis surrexisse, atque in Caelum ascendisse, ut genus redimeret humanum.

Nota, Adultos necessitate medii teneri implicite credere omnia Fidei dogmata, nimirum vera esse quae a Deo revelata, & promissa sunt, quaeque per Ecclesiam credenda proponuntur, ex Trid. *sess.* VI. *cap.* 5. Auctoritas enim Dei revelantis exigit,

git, ut saltem implicite credantur quae ipse dignatus est hominibus manifestare.

Prop. IV.

Adulti omnes ratione praediti divini praecepti necessitate adstringuntur scire, & credere explicite sequentia haec principaliora Fidei capita.

I. Ea omnia, quae necessaria sunt necessitate medii.

II. Omnes articulos, qui in Symbolo continentur quod ad substantiam.

III. Sacramenta, quae necessitate medii sunt necessaria, vel aliquando recipienda sunt.

IV. His addenda est fides, & cognitio mandatorum Dei, nec non Dominicae Orationis, ejusque necessitatis.

Prob. 1. pars. Quo jure aliquid est ad salutem necessarium necessitate medii, eodem jure est necessitate praecepti: cum quisque teneatur ex lege Dei, & caritate sui salutem aeternam, ac proinde media ad eam assequendam necessaria procurare, si in sua sint potestate.

Prob. 2. pars. Praecepto divino tenentur adulti Evangelio credere. *Credite Evangelio*, dicitur *Marci* I. Sed praecipua Evangelii capita continentur in Symbolo. Ergo saltem haec principaliora fidei capita, seu Symboli articulos adulti omnes ad cognoscendum, & credendum divino praececepto adstringuntur. Unde ab Ecclesiae exor-

exordio Catechumeni ad baptismum non admittebantur, nisi prius Symbolum intelligerent, & recitarent.

Q. *Quid sit Symboli articulos quod ad substantiam credere?*

R. Fideles quod ad substantiam callere Symboli articulos, quando de iisdem interrogati respondent, & imperfecto saltem modo mysteria percipiunt, quae vocibus exprimunt. Hinc neque quod ad substantiam Symbolum tenet ille, qui idiomate latino quod prorsus ignorat, veluti psittacus, suae memoriae illud consignat.

Prob. 3: pars. Exstat praeceptum divinum recurrendi ad Sacramenta, quae sunt media a Christo Domino ad salutem assequendam instituta. Ergo exstat praeceptum divinum comparandi eorum notitiam, & fidem. Nam sine praevia eorum cognitione, & fide, vel nullus, vel inutilis esset ad Sacramenta recursus. Verum cum Sacramenta non omnia singulis necessaria sint, sequitur aequalem non esse in omnibus eorum addiscendi obligationem.

Prob. 4. pars. Jure naturali, & divino tenemur ad Decalogi observantiam. Ergo eodem jure ad eorum cognitionem tenemur, cum sine hac cognitione praecepta observari nequeant.

Prob. 5. pars. Praeter orandi praeceptum toties in Scriptura repetitum, adest orandi forma a Christo praescripta, *Oratio* sci-

ſcilicet *Dominica*, *Matth.* I. *Sic ergo vos orabitis* &c. Ergo ſaltem quod ad ſubſtantiam tenemur eam ſcire, ejusque neceſſitatem, & efficaciam credere.

Prop. V.

Ex praecepto Eccleſiae conſuetudine obfirmato tenentur fideles memoriter ſcire Symbolum Apoſtolorum, Decalogum, Orationem Dominicam, modum formandae crucis, ſalutationem Angelicam.

Prob. ex cura, qua Eccleſia a fidelibus exigit, ut haec addiſcantur. Hoc patet ex variis Conciliis, & praeſertim ex *Can.* 105. *diſt.* 4. *de Conſecrat.* ex Concilio Moguntino tempore *Caroli Magni* celebrato, ex Concilio Forojulienſi celebrato ſub eod. *Carolo Magno*, & *Pipino*, ex quibus haec colligit, & praecipit *S. Carolus Borrhomaeus Actorum Eccleſiae Mediolanenſis part.* 4. *Ut qui Articulos omnes Symboli Apoſtolorum non tenet, inſuper & praecepta Dei, Sanctaeque Matris Eccleſiae univerſa, quae ſub mortali obligant: Item Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam non abſolvatur, quin primo quoque tempore in addiſcendis operam ſe daturum promiſerit. Quod ſi de hac obligatione poenitens alias monitus pro ſui ingenii captu neglexerit addiſcere, non prius abſolvatur, quam huic obligationi aliqua ex parte fecerit ſatis.* Eadem fere ſtatuit *Benedictus* XIV. *in Conſtitutione*, Etſi minime.

Ex

Ex dictis colliges I. praeceptum, quo urgentur fideles ad res Fidei sciendas, esse divinum ex ipsa virtute Fidei fluens. Ipsa enim virtus Fidei obligat ad credendum, & cognoscendum, quod universaliter Deus suis creaturis dignatus est proponere, & revelare; quod autem Deus jubet, divinum est: Praeceptum vero memoriae easdem res fidei consignandi Ecclesiasticum esse, quia pluribus in Conciliis hoc jubet Ecclesia. Atque hinc est, ut Theologi quidam praeceptum hoc Fidei veritates addiscendi divinum vocent quod ad substantiam; Ecclesiasticum, quod ad determinationem, ut scilicet memoriae mandentur eo ordine, quo Fidei articuli, & divina praecepta digesta sunt.

Colliges II. peccare mortaliter 1. eos, qui recensita christianae doctrinae capita culpabiliter ignorant, vel addiscere negligunt. 2. Parentes, dominos, Parochos, qui suos filios, subditos, oves sibi commissas per se, vel per alios de iis non erudiunt. 3. Confessarios, qui poenitentes de fidei rudimentis interrogare negligunt, quando probabiliter judicant eos ignorare, quae sub gravi scire tenentur.

Q. *Num fideles omnes eâdem mysteriorum fidei notitiâ instructi sint oporteat?*

R. Neg. Cum enim eadem non sit fidei mensura omnibus fidelibus communis, ut docet Apostolus *ad Rom.* XII. non omnes

omnes eandem omnino explicitam rerum fidei notitiam habere adſtringuntur: legeſis *D. Thomam* 2. 2. *q.* 10. *art.* 6. Hinc Laici omnes ad eandem articulorum fidem tenentur, quam ſupra explicuimus. Clerici omnes vi ſui ſtatus ad majorem explicatioremque notitiam, & fidem tenentur, quam laici; cum hos illi inſtruere, & illuminare debeant. Porro Eccleſiaſticorum alii minore, alii majore cognitione, prout eorum miniſteria, & dignitates ferunt, imbuti ſint neceſſum eſt.

§. III.
De tempore, quo praeceptum urget actum Fidei eliciendi.

Q. I. *Num praeceptum actum Fidei eliciendi ſpeciale ſit, h. e. ab aliis diſtinctum?*

R. Affir. Hujus enim praecepti velut ab aliis diſtincti Scriptura non ſemel meminit. *Eccleſiaſtici* II. *Qui timetis Deum, credite illi*. Unde proſcripta eſt ab *Innocentio* XI. haec propoſitio: *Fides non cenſetur cadere ſub praeceptum ſpeciale, & ſecundum ſe*. Et ab *Alexandro* VII. haec alia: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*.

Q. II. *Quandonam urgeat divinum Fidei praeceptum?*

R. Sae-

R. Saepius in vita tum *per se*, tum *per accidens*.

Nota. Per se, i. e. quatenus est speciale praeceptum: Per accidens, i. e. cum urget aliud praeceptum, ad quod servandum fidei exercitium est necessarium. Ut cum actus alterius virtutis eliciendi sunt, spei scilicet, caritatis, poenitentiae &c. quae fidem supponunt. Non enim in Deum sperare, vel eundem diligere vales, nisi in eum credas.

Prob. 1. pars, Scriptura teste: *Justus ex fide vivit*. Quemadmodum igitur ut vita corporalis consistat, frequenti nutrimento indiget; sic proportione servata, ad vitam christianam conservandam, & augendam frequentes fidei actus requiruntur.

Prob. 2. pars. Saepius in vita tenemur varia Dei, & Ecclesiae praecepta servare, quae sine praevio actu fidei, ut par est, impleri non possunt. Variae item sunt in humana conversatione tentationes, quibus, nisi fortes in fide, resistere non valemus. Sed hoc est per accidens fidem exercere. Ergo per accidens saepius in vita tenemur ad fidei exercitium.

Hinc violati praecepti reus evadit, qui fidem exercere negligit, & quidem graviter, si gravis; leviter, si levis sit ejus negligentia.

Q. III. *An dentur aliqui speciales casus, quibus praeceptum fidei obligat ad sui exercitium?* R. Affir.

R. Affir. Et I. quidem *per se* obligat in primo inſtanti uſus rationis. Tunc enim homo tenetur ſeſe in Deum convertere, illumque fide, ſpe, & caritate colere. Hinc pueri inter fideles educati actum fidei interiorem elicere tenentur, cum primum illis rationis lumen affulget, & fides eis ſufficienter proponitur, i. e. per Eccleſiae miniſtros ſive Parochos, ſive parentes fides explicatur. Illud tamen obſervandum eſt, non raro pueros excuſari, ſi praeceptum hoc ſtatim non impleant, quippe quibus interdum fidei myſteria non proponantur, ſtatim ac uſum rationis aſſecuti ſunt.

II. Adſtringit infideles adultos, quibus catholica fides ſufficienter eſt propoſita. Sine enim gravi ſupremae Veritatis injuria omitti, vel ſuſpendi nequit aſſenſus veritatibus fidei ſufficienter propoſitis, ut a Deo revelatis.

Porro Fides ſufficienter infidelibus propoſita dicenda eſt, quando ii rationes, miracula, aliaque credibilitatis ſigna audiunt, ac vident.

III. In quolibet probabili mortis periculo. Juſtus enim ſicut ex fide vivere, ita ex fide mori debet.

IV. Quando urget gravis in fidem tentatio, quae ſuperari nequit, niſi per actum contrarium. Cum enim fidei praeceptum diſſenſum omnem, & dubitationem circa myſteria revelata prohibeat,

prae-

praecipit quoque suipsius exercitium tanquam medium necessarium ad sui defensionem. Quod si homines tentationibus vexati anxii sint & pavidi, peropportunum eis fore tentationes contemnere, & alio mentem convertere, concors est Theologorum sententia.

V. Cum quis in haeresim lapsus est, per contrarium fidei actum injuriam primae Veritati illatam resarcire debet.

VI. Quando fidei exterior facienda professio est.

Per accidens quoque multi occurrunt casus, in quibus fidei exercitium est necessarium, & 1. cum ad justificationem nos praeparamus; quia sine fide actuali explicita nulli unquam justificatio contingit, ait Tridentium *sess.* V. *cap.* 7.

2. Quando ad Sacramenta accedimus. 3. Cum praecipua anni festa occurrunt: ut sunt Christi Nativitas, Resurrectio, Pentecostes &c. quia illa ad Dei cultum praecipue sunt instituta. Atqui ex *D. Augustino Fide, Spe, & Caritate* Deus est colendus. Ergo &c. 4. Quando urget tentatio contra alias a fide virtutes, & fidei exercitium, medium ad victoriam assequendam necessarium reputatur.

Nota, ut huic obligationi repetendi fidem per accidens fiat satis, opus non esse, ut actu formali & expresso quis dicat: *credo Deum esse, quem nunc oro, in quem spe-*

spero, *quem diligo* &c. sed satis esse, ut implicite & virtualiter, h. e. virtute fidei toties exercitae, Deum precetur, amet, atque in eundem speret.

Nota, proscriptas a Rom. Pontificibus sequentes propositiones, quae tempus spectant, quo fidei actus edendi sunt.

Ab *Innocentio* XI. proscripta fuit haec propositio: *Satis est actum fidei semel in vita elicere*. Huic consonat & altera ab eodem Pontifice damnata circa Trinitatis, & Incarnationis mysteria, de quibus statuit: *sufficit illa mysteria semel credidisse.*

Et Tertia ab Eodem damnata: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum Caritatis erga Deum*. Quae quidem propositio etsi de caritatis actu eliciendo loquatur; ex ea tamen eruitur, fidei praecepti pariter transgressorem esse, qui ultra quinquennium illud differt.

Sectio II.
De Externa Fidei Confessione.

Nota I. Externa Fidei confessio *est internae Fidei manifestatio signo aliquo exteriore, suapte natura, vel vi communis acceptionis & intelligentiae id significante*. Fides itaque exterius manifestari potest verbis conceptis, signis, nutibus, gestibus, actionibusque ex speciali institutione, aut com-

communi acceptione fidem exprimentibus.

Nota II. Datur praeceptum externae Fidei confessionis, quod duplex est, *Divinum*, & *Ecclesiasticum*. Divinum duplex itidem est, *affirmativum*, & *negativum*. Affirmativum exteriorem confessionem jubet., & omissione violatur, & *pro semper* non obligat. Negativum vero exteriorem Fidei negationem vetat, & *pro semper* obligat, actuque positivo frangitur. Itaque de hoc triplici praecepto agendum, 1. scilicet de praecepto divino affirmativo Fidei exterius confitendae. 2. De praecepto affirmante Ecclesiastico Fidei exterius profitendae. 3. De praecepto Fidei negativo.

§. I.

De Praecepto divino affirmativo Fidei exterius confitendae.

Certum est apud omnes dari hoc divinum praeceptum, ut colligitur ex Scriptura. *Ad Rom. X. 9. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Fides*, ajebat *Augustinus lib. de Fide & Symb. officium a nobis exigit & cordis, & linguae*. Quod autem in controversiam adducitur est tempus, quo praeceptum hoc obligat; ad cujus solutionem sit

Prop.

Praeceptum divinum fidem exterius confi-

fitendi non semper obligat, sed duplici in casu: quando honor Dei debitus, & utilitas proximo impendenda subtrahuntur. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 3. *art.* 2.

Prob. 1. pars. Quia praeceptum affirmativum non obligat *semper*, & *pro semper*, ut docet idem S. Doctor: alias adstringeret semper ad publicum fidei exercitium, quod nemo dixerit.

Prob. 2. pars. In hoc duplici casu omissio externae confessionis fidei injuriam Deo, damnum proximo infert. Ergo honor Deo debitus, caritas proximo impendenda ad externam fidei confessionem adstringit.

Q. I. *Quinam sint casus, in quibus per omissionem confessionis fidei honor Deo debitus subtrahi censeatur?*

R. I. Id posse contingere, quando quis a publica potestate, seu judice de fide interrogatus, tacet. Nam hoc casu fidem clare & aperte non confiteri, est Christum erubescere, quod certe in Dei contemtum, & fidei detrimentum vergit. Quapropter is poenam meretur, quam Christus silentibus comminatur, *Lucae* IX. his verbis: *Qui me erubuerit, & meos sermones; hunc Filius hominis erubescet.* Merito igitur damnata fuit ab *Innocentio* XI. sequens propositio: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

Quod

Quod si interrogatio in odium Fidei a persona privata fiat, communiter Theologi docent fidelem regulariter loquendo posse vel tacere, vel interrogationem eludere dicendo, E. G. *Quid tua refert, an sim christianus, nec ne?*

Dixi, *regulariter loquendo*. Si enim interrogatio de Fide a privata persona proveniens, sit in ea circumstantia, ut silentium in fidei detrimentum vergat; tunc aperta fronte Fides profitenda est.

R. II. Quando ab infidelibus Fides catholica despicitur, puta sacras imagines conterendo, templa profanando, aliisque injuriis fidem afficiendo; tenetur catholicus sua publica confessione, quoad fieri potest, injuriam Deo, & sacris imaginibus irrogatam propulsare: secus, si prudenter judicet oppositionem suam magis obfuturam, quam profuturam.

Q. II. *Quibus in casibus omissâ fidei professione, salus proximi in discrimen adduci censeatur?*

R. Id posse contingere, 1. quando proximo periculum adest a fide deficiendi, vel in ea vacillandi, nisi externa fidei professione confirmetur. 2. Quando ex publica fidei confessione Infidelium conversio prudenter speratur. In his, similibusque casibus, in quibus honor Dei, & proximi salus periclitatur, praeceptum fidei obligat ad externam confessionem etiam cum periculo vitae.

Q. III. *Utrum persecutionis tempore liceat fugâ declinare fidei confessionem?*

R. Id licere, si nullum fidei detrimentum, vel scandalum in aliis oriatur. Prob. ex Evangelio, *Matth.* XVI. *Cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam.* Idque confirmatur exemplo ipsius Christi, ejusque Apostolorum, qui Persecutorum saevitiam quandoque fugâ declinaverunt, quodque fecerunt Martyres, & Confessores non pauci, ut *Cyprianus*, *Athanasius*, *Sylvester*, *Polycarpus*, aliique. Nam qui extra casum divini honoris, vel utilitatis proximi tyrannum fugit, fidem non negat, sed quodammodo eam profitetur; non enim fugeret, si fidem non retineret.

Contra, Fuga isthaec illicita est ei, cujus praesentia censetur valde necessaria ad Religionem promovendam, imbecillesque confirmandos. Hic enim ex caritate, vel etiam ex debito justitiae, si sit Pastor, tenetur non aufugere etiam cum vitae discrimine.

Item Pastori non licet fugere, quando oves gravi spiritualis subsidii necessitate premuntur. E. G. Si desint Sacerdotes, qui tantum onus supplere velint, ex officio tenetur Pastor suis ovibus assistere etiam cum periculo vitae.

Contra vero Pastores occultare se licite possunt, si cognoscatur eorum occultatio ad tempus fieri populo utilior: pro-

providendo tamen eis subsidia necessaria vel per se, occulte, vel per alium; nam caritas tunc fugam postulat.

§. II.
De Praecepto Ecclesiastico Fidem exterius confitendi.

Prop.

Ecclesiastico jure plures in dignitate constituti tenentur Fidei professionem palam edere.

Prob. Enumeratione eorum, qui ex Tridentino praesertim tenentur palam edere fidei professionem cum juramento Rom. Ecclesiae obediendi. Et I. tenentur provisi de beneficio curato, idque intra duos menses a die adeptae possessionis coram Episcopo, aut ejus Vicario generali, vel Officiali. Tridentinum *sess.* XXIV. *cap.*12. *de Refor.*

II. Provisi de Canonicatu, vel dignite in Cathedrali Ecclesia; idque non solum coram Episcopo, vel ejus Vicario, sed etiam in Capitulo, addita poena nullitatis fructuum. Trid. ibid.

III. Primates, Archiepiscopi, Episcopi in prima Synodo Provinciali, ita ut qui renuit, Rom. Pontifici sit denunciandus. Trid. *sess.* XIV. *cap.* 2. *de Refor.*

IV. *Pius* IV. in suo quodam Motu Proprio, cujus initium est, *Injunctum no-*

bis, hanc legem palam edendi fidei professionem ad omnes Ordinum Regularium, & militarium Praelatos extendit.

V. *S. Pius* V. in sua Constit. quae incipit, *In Sacrosancta*, fusius hanc obligationem extendit ad omnes promovendos in Doctores, Magistros, Regentes, Concionatores, addita latae sententiae excommunicatione, & privatione omnium beneficiorum in eos, qui alios promovent ad eum gradum sine praevia fidei professione.

Declaravit denique Sacra Congregatio, praefatam constitutionem omnes comprehendere Magistros Grammaticae, Arithmeticae, & aliarum artium, tametsi publice has artes non exerceant.

Porro super hac Ecclesiastica constitutione de Fidei professione palam facienda a recensitis personis haec potissimum a Theologis quaeri solent.

1. An sub gravi obliget. 2. An fieri possit per procuratorem. 3. An poena fructus non faciendi suos Beneficiariis imposita, non edentibus intra bimestre Fidei professionem, obliget ante judicis sententiam.

Ad I. R. Affir. Idque colligitur tum ex sublimi fine servandae Fidei, tum ex gravissimis poenis in transgressores latis.

Ad II. R. Neg. Idque patet tum ex sacrae Congregationis Cardinalium declaratione, tum quia Fidei professio est actio per-

personalis, quae per alium fieri nequit.

Ad III. R. Affir. Quia Tridentini lex fructus non faciendi suos a Beneficiario non edente intra bimestre Fidei professionem, poenalis proprie non est, sed irritans, inhabilem reddendo Beneficiarium ad fructus retinendos. Vide *Salmanticenses Tract.* 22. *cap.* 2. *punct.* 7. *num.*82.

§. III.

De Praecepto negativo Fidei, quo prohibetur negare Fidei articulos.

Prop.

Datur praeceptum negativum Fidei, quod obligat semper, & pro semper ad non negandam exterius fidem.

Prob. I. Ex Scriptura. *Matth.* X. Christus damnationis poenam minatur fidem coram hominibus negantibus. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Sed fidem negare coram hominibus est exterius negare fidem, licet in corde retineatur. Ergo &c.

Prob. II. Fidei negatio est quid intrinsece malum. Ergo nullo casu est licita. Prob. Antecedens. Fidei negatio vel est interna simul & externa, seu dum fides exterius negatur, etiam corde respuitur: vel est solum externa, sive dum ore vi tormentorum fides negatur, interius tamen in corde retinetur. Si primum, infi-

delitatis peccatum est, suapte natura malum; si secundum, mendacium committitur, quod pariter ex genere suo malum est. Ergo nullo unquam casu licitum est fidem negare, etiam morte acerbissima imminente, etsi vera Christi fides in corde retineatur. Ita Catholici omnes contra *Priscillianistas*, aliosque Haereticos.

Q. *Quibus potissimum modis censeatur Fides saltem implicite negari?*

R. Fides negari potest vel expresse, cum aliquis Christum, aut aliquam fidei veritatem aperte neget: vel tacite, cum aliquis ex circumstantiis in quibus loquitur, vel operatur, fidem negare censeatur, sive hoc fiat verbo, sive signo, sive facto.

Hinc I. Fidem negare censetur qui intuitu fidei interrogatus, negaret se christianum esse: item se esse Papistam, Pontificium, Romanensem, cum haec idem valeant, ac nomen catholici, quaeque in spretum catholicae Ecclesiae ab Haereticis sint inducta. Secus, si quis solum negaret certum vitae genus, vel officium in Religione christiana contentum. Ut si quis negaret se esse Clericum, Sacerdotem, Religiosum: cum hoc non sit negare fidem, sed munus quoddam professionis fidei, sine quo etiam stat integra fides. Item sicut negare non licet esse christianum; ita non licet dicere, se esse Lutheranum, Calvinistam, Turcam. Nam

idem

idem est dicere, se esse Lutheranum, ac negare se esse christianum catholicum.

Hinc II. Fidem negat qui actiones exercet, etsi simulate, quae suapte natura, vel ex lege, vel ex communi usu ad exteriorem falsae Religionis professionem ordinantur. Unde nec vitandae mortis caussâ adolere thus Idolo licet, aut eidem genua flectere, aliaque similia Religionis signa exhibere. Hoc constat ex veteri Ecclesia, in qua simulatio haec pro gravissimo peccato habita est: adeo ut Rei abnegatae fidei habiti sint Christiani quidam tertii seculi, dicti *Libellatici*, qui ne fidei caussa torquerentur, aut ad magistratus traherentur, pecuniâ a Magistratibus obtinebant Libellum, in quo dicebatur, Libelli possessores Idolis sacrificasse, atque Imperatorum edictis paruisse, nec proinde esse amplius fidei causâ molestandos.

Duo hîc opponuntur, *Naaman Syrus*, qui ad veram fidem conversus licentiam ab *Elisaeo* obtinuit, ut cum suo Rege genua flecteret idolo *Remmon*, IV. *Regum* V. 2. Factum Regis *Jehu*, qui simulavit, se velle sacrificium offerre *Baal*, quod approbasse Deum, legitur IV. *Regum* X.

R. ad I. *Naamanum* ab *Elisaeo* licentiam petiisse praestandi domino suo politicum famulatum in templo, quemadmodum in aliis locis. N 6 R. ad

R. ad II. Non laudari factum *Jehu* quod ad omnes circumstantias, & nominatim quod ad illam simulationem, sed tantum quod ad zelum, quo cultum Baal destruxit: Ita post *Augustinum D. Thomas* 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. *ad* 2.

Hinc III. In Haereticorum ritibus caerimoniisque non licet communicare, E. G. coenam haereticam sumere, psalmos cum ipsis canere; nam hoc esset haeresim facto profiteri, ac veram fidem virtualiter negare. Verum illorum nuptiis, funeribusque amicitiae caussa interesse, haud illicitum est; dummodo nulla sit in ritibus caerimoniisque, quae Religionem redolent, communicatio.

Similiter licitum est, Haereticorum templa ingredi, dummodo absit scandalum, perversionis periculum, & impietatis communicatio. Hujusmodi enim ingressus, si honesta adsit caussa, ex communi usu protestatio Religionis non censetur.

Deficientibus catholicis ministris, & extrema urgente necessitate, licitum est ab Haereticis sacramenta recipere, quae per eosdem recte, & valide administrantur: neque isthaec sacramentorum receptio in his circumstantiis esset tacita haeresis approbatio, sed potius verae Religionis professio, in cujus cultum instituta sunt sacramenta.

Hinc IV. non licet uti vestibus per se institutis ad falsae sectae protestationem.

Ha-

Harum enim vestium usus esset falsae sectae professio, & verae fidei tacita abnegatio: secus dicendum de vestibus, quae sunt insignia nationis, & patriae.

Quae hactenus diximus tum de praecepto affirmativo exterius confitendae fidei, cum de negativo non negandi fidem neque verbo, neque facto, intellige non solum de articulis fidei, seu de veritatibus, quae speculativae vocari solent; verum etiam de veritatibus practicis, seu de doctrina morum. Nam integrum Evangelium publice fateri vi professionis nostrae adstringimur: Evangelium enim tum fidei, tum morum praecepta continet. Hinc christianae professionis violatores sunt, qui data occasione coram mundanis hominibus, mandata Dei confiteri erubescunt: hi profecto Christum erubescunt; si non ut auctorem fidei, certe ut morum praeceptorem.

C A P. III.

De Vitiis virtuti Fidei oppositis.

Nota I. Fidei opponitur Infidelitas, eaque generatim est triplex, *negativa*, *privativa*, & *positiva* seu *contraria*.

In-

Infidelitas negativa est mera fidei carentia in eo, cui fides annunciata nullo modo est, aut saltem sufficienter praedicata non est. Infidelitas privativa est fidei carentia in eo, qui aut fidei mysteria non vult audire, aut sufficienter sibi propositis assensum praestare recusat, cum debet: quamquam nec reipsa positive dissentiat, nec errorem directe contrarium propugnet. Infidelitas contraria & positiva est fidei carentia in eo, qui fidei sibi sufficienter propositae resistit, negando quidquam ad fidem pertinens, aut errorem fidei contrarium defendendo. Vide *D. Thomam.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 1.

Nota II. Infidelitas culpabilis dividitur in *Paganismum*, *Judaismum*, & *Haeresim*. Paganismus est infidelitas, qua totaliter rejicitur fides nondum suscepta. Ad Paganismum reducuntur *Atheismus*, & *Maumetismus*. Judaismus est infidelitas eorum, qui Vetus tantum Testamentum admittunt; Novum rejicientes; Messiamque venturum exspectant, revera advenisse negantes. Haeresis est infidelitas, qua Novi Testamenti doctrina non ex toto, sed ex parte rejicitur. Ad Haeresim *Apostasia* reducitur, quae differt in eo, quod Haeresis tantum ex parte, Apostasia vero ex toto sit fidei contraria.

Q. I. *An Infidelitas pure negativa sit peccatum?*

R. Neg.

R. Neg. Constat I. ex Scriptura. *Joan. XV. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, scilicet infidelitatis.

II. Constat ex hac damnata propositione: *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*. Ratio est, quia infidelitas negativa non est voluntaria neque in se, neque in alio: non in se, quia non est cognita; non in alio, quia nihil faciunt infideles illi, unde possint cognoscere sequi infidelitatem. Ergo nullo modo est imputabilis ad culpam. *Infidelitas*, ait *D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 1. in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis poenae, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est: qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quae sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.*

Q. II. *Utrum Infidelitas privativa possit a gravi peccato excusari?*

R. Neg. Prob. I. ex Scriptura: *Joan. III. Qui non credit, jam judicatus est*. Ratio est, quia a gravi peccato excusari nequit qui voluntarie medium necessarium ad salutem, & a Deo praeceptum omittit.

Prob. II. Quia peccatur contra re-

ve-

verentiam debitam primae Veritati graviter exigenti assensum veritatibus sufficienter propositis.

Hinc graviter peccat Infidelis, qui Religionem non amplectitur catholicam, quam ejus secta judicat probabiliorem. Si enim omnibus in rebus gravioris momenti quae verosimiliora videntur, sequi teneamur, quanto magis ad id adstringimur in rebus ad aeternam salutem assequendam necessariis? Resolutionem nostram confirmat *Innocentius* XI. damnans sequentem propositionem: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Quod si Infidelis aeque probabilem existimet suam sectam, ac fidem catholicam; tunc inquirere de hujus veritate debet, legendo, interrogando, audiendo, ac praesertim orando. Deus enim praesto est iis, qui sincero corde ad eum confugiunt, ut veritatem reperiant. Unde Infidelis positus in aequali probabilitate de vera, ac falsa Religione, etsi non peccet, veram fidem non amplectendo; peccat tamen, si media ad veritatem assequendam necessaria omittat.

Q. III. *Num Paganismus, Judaismus, & Haeresis sint peccata specie diversa?*

R. Affir. Ita communiter *Thomistae*. Etsi enim ad virtutem fidei opponantur, utpote quae conveniunt in eadem oppositione cum fide; sunt tamen specie diversa,

qua-

quatenus repugnant virtuti Religionis, cum singulae sectae habeant caerimonias, & ritus proprios malitiam specie diversam continentes: E. G. Paganismus Idololatriam, Judaismus circumcisionem.

Q. IV. *Num Ecclesia potestatem habeat infideles non baptizatos cogendi ad fidem suscipiendam?*

R. Neg. Ecclesia enim directe nequit cogere infideles non baptizatos ad fidem amplectendam, sive hi subjecti sint Principibus christianis, sive non.

Prob. 1. pars. Nemo juste quempiam cogere potest, nisi auctoritate in eundem potiatur. Sed Ecclesia nullam jurisdictionem habet in eos, qui fidem adhuc non susceperunt, ajente Apostolo *I. ad Cor.* V. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Ergo &c. Ecclesiam enim per baptismi januam ingredimur, & ejus potestati subjicimur. Tridentinum *sess.* XIV. *cap.* 2.

Prob. 2. pars. Christiani Principes potestatem vi adigendi infideles subditos ad veram Religionem suscipiendam non habent a jure naturae, quae ad supernaturalem ordinem non pertingit, qualis est fidei, & baptismi susceptio; neque a jure divino, cum nullibi habeatur, Deum Principibus ejusmodi potestatem contulisse. Praeterea fidei, ac baptismi susceptio debet esse voluntaria, ac libera, alioquin esset ficta, & sacrilega. Hinc Ecclesia nunquam ea coa-

ctio-

ctione usa est; quin imo in *can.* 2. Concilii Toletani expresse praecipit, ne Judaeis ad credendum vis inferatur.

Dixi 1. *directe*. Nam 1. Ecclesia per Principes christianos potest cogere infideles subditos, ut Idololatriae cultum relinquant. 2. Eos adigere ad audiendam fidei doctrinam: quod constat auctoritate Rom. Pontificum, qui ex *Gregorio* XIII. cogunt Judaeos Romae commorantes ad audiendum verbum Dei singulis hebdomadis. 3. Potest compescere infideles sive subditos, sive non subditos, qui Evangelicae fidei praedicationem impediunt. Ita communiter cum *D. Thoma* 2. 2. *q.*10. *art.* 2.

Dixi 2. *Infideles non baptizatos*. Infideles enim baptizati sive Haeretici, sive Apostatae, cum sint subditi Ecclesiae, possunt ab ea cogi ad fidem suscipiendam, & ad servandas leges Ecclesiasticas; quamvis baptizati sint in infantia, vel in adulta aetate ex metu compulsi.

Q. V. *An liceat communicare cum Infidelibus?*

R. Duplicem communicationem solere distingui: Prima *religiosa* est, quae in operibus ad Religionem pertinentibus consistit, quaeque jure naturali, & divino est vetita, ut docet Apostolus II. *ad Cor.* VI. *Quae societas luci ad tenebras? Aut quae pars fidelis cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* Hinc contra fidem peccat qui

qui communicat in ritibus, ſacrificiis, orationibus, aliisque Religionis exercitiis.

Altera *civilis* & *politica*, quae ad commercium, & humanam pertinet ſocietatem, quaeque prohibita non eſt, ſecluſo periculo ſubverſionis, & ſcandali. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate*, ait Apoſtolus I. *ad Cor.* X. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus Eccleſiae decreto vetita eſt chriſtianis cum infidelibus communicatio. Vide Decretum in *Can.* Nullus, *Can.* Judaei, *Can.* Omnis *cauſſ.* 28. *q.* 1. & Titulum *de Judaeis, & Saracenis*.

His praelibatis de Infidelitate praeſertim eorum, qui fidei chriſtianae nondum ſuſceptae adverſantur; gradum faciam ad eorum Infidelitatem, qui chriſtiana fide ſuſcepta, eam in totum, vel in partem negant, Haereſim ſcilicet & Apoſtaſiam.

§. I.
De Haereſis Natura, & Diviſione.

Haereſis graeca vox eſt, & dicitur ab *eligendo*, ſicut ſecta a ſectando, ut inquit *Iſidorus lib.* 8. *Etymolog.* Nomina iſthaec nullam mali ſpeciem olim praeſeferebant, ut colligitur *Actor.* XXIV. Nunc in malam partem a Doctoribus uſurpantur, ſignificantque Erroris electionem, defenſionemque pertinacem. Itaque ſub hac acceptione Hae-

Haeresis communiter definitur: *Error intellectus voluntarius, & pertinax contra aliquam veritatem fidei catholicae in eo, qui fidem recepit.*

Explicatur definitio. Dicitur 1. *Error intellectus*. Nam sicut fidei assensus est in intellectu, ita assensus falsus fidei contrarius pariter in intellectu residet.

Dicitur 2. *voluntarius*. Nam sine voluntate peccatum nullum est; & sicut assensus fidei pendet a pio voluntatis affectu, sic a malitia voluntatis peccatum haeresis ortum ducit.

Dicitur 3. *pertinax*: quae vox obstinatam deliberationem in errore significat. Qui enim deliberate errat, corrigi paratus, Haereticus non est.

Dicitur 4. *in eo, qui fidem recepit*. Hae ultimae particulae subjectum haeresis produnt. Nam qui fidem Christi non suscepit, adversus fidem errat utique: sed error iste aut Paganum, aut Judaeum constituit, non vero Haereticum.

Jam vero ad haeresim constituendam tria requiruntur; error scilicet in intellectu, pertinacia in voluntate, & fidei professio in subjecto.

I. Requiritur *error in intellectu*, seu judicium contra fidem erroneum, i. e. directe oppositum alicui veritati a Deo revelatae, & ut tali sufficienter propositae. Hinc qui exterius tantum fidem negaret absque

absque judicio interno fidei contrario, non esset haereticus, neque poenas in haereticos latas incurreret; quamvis gravissime peccaret, & in foro exteriore praesumeretur Haereticus, & ut talis puniretur. Prudenter enim praesumitur factis animum respondere.

II. Requiritur *pertinacia in voluntate*, sine qua judicium erroneum contra fidem etiam culpabile, non est haeresis, juxta illud *Augustini ep.* 43. *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt .... parati corrigi cum invenerint veritatem, nequaquam sunt inter Haereticos computandi.*

Pertinacia haec cosistit in eo, quod etiamsi aliquis sciat, & advertat aliquid fide certum teneri ab Ecclesia catholica; oppositum tamen deliberate retinet, ac tuetur. Hic enim praeponit judicium suum judicio Ecclesiae, in quo stat pertinacia. Ita communiter ex *Augustino lib.* 1. *de Bapt. Nondum illum Haereticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ, catholicae fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit.*

III. Requiritur *fidei professio in subjecto*: Ita *Augustinus*, qui *lib.* 18. *de Civit. cap.* 45. Haereticos vocat, *qui sub vocabulo christiano, doctrinae resistunt christianae*. Disputatur autem, an ad constituendum haereticum formalem requiratur baptis-

ptismus. Certum est requiri, ut aliquis in foro Ecclesiae, & ad poenas haeresis subeundas haereticus constituatur.

Q. I. *An error ex ignorantia culpabili contra aliquem fidei articulum procedens, ad Haeresis culpam contrahendam sufficiat?*

R. Neg. Quia deest pertinacia necessaria ad haeresim constituendam. Qui enim errat licet ex ignorantia crassa & supina, imo juxta aliquos etiam affectata, modo non sit in auctoritatis Ecclesiae contemtum, pertinax non est. Quia caret scientia, qua quis advertat, se catholicae Ecclesiae auctoritati resistere, dum aliquam veritatem revelatam negat: ac proinde is quidem peccaret graviter contra fidem, seu contra praeceptum fidei de adhibenda sufficienti diligentia ad cognoscendas fidei veritates, licet non esset Haereticus.

Q. II. *Utrum dubius in fide censendus sit Haereticus?*

R. I. Qui positive dubitat de rebus fidei sufficienter propositis, est formaliter haereticus. Ita communiter ex *cap.* 1. *de Haereticis*, ubi expresse dicitur: *Dubius in fide est infidelis*. Ratio est; 1. quia dubitatio fidei certitudinem corrumpit. 2. Quia sic dubitans, Ecclesiam judicat non esse regulam fidei infallibilem, seu veritatibus quae ab illa proponuntur de fide credendae, forte subesse falsum: quod est fidei contrarium, atque adeo aperta Haeresis.

R. II.

R. II. Etiam negative dubitans, seu qui deliberate assensum suspendit, pondere difficultatum pressus, quae in fidei articulis insurgunt, Haereticus est: cum hujusmodi dubium positivo aequivaleat. Qui enim non audet assensum sibi imperare, judicat difficultatum momenta contra fidem esse tanti ponderis, ut faciant rem dubiam, ac proinde de fidei veritate positive dubitat. Secus vero dicendum de eo, qui intellectum abstrahit a rerum fidei contemplatione, ut se periculo pertinaciter dubitandi subducat.

Q. III. *Num per peccatum Haeresis habitus fidei amittatur?*

R. Affir. Quia Haeresis directe opponitur objecto formali fidei, divinae nempe revelationi. Hinc Haereticus in uno tantum articulo fidei, etsi reliquos credat, eos non credit fide divina, sed humana. Non enim divinae nititur auctoritati secundum se, & ut proponitur ab Ecclesia, sed prout sedet suo intellectui, atque adeo sibi potius credit. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q. 6. art.* 3.

Q. IV. *Quotuplex sit Haeresis?*

R. Haeresis dividitur in *formalem*, & *materialem*. Haeresis formalis ea ipsa est, quam supra descripsimus. Haeresis materialis est, cum quis aliquid contra fidem credit, aut profert, ignorans illud ad fidem pertinere. Haeresis quoque materialis est,

est, cum quis propositionem aliquam fidei contrariam exterius pronuntiat, absque tamen assensu interno.

Haeresis formalis tribuitur in *mentalem* seu pure internam, & in *externam* simul & *internam*. Mentalis est, quae nullo exteriore signo se prodit: Interna simul & externa ea est, quae non in sola mente sistit, sed signo aliquo exteriore palam fit. Rursus haeresis formalis externa dividitur in eam quae dicitur *manifesta per se*, quae etiam *publica* dici solet, estque cum coram pluribus videntibus, & audientibus profertur: & in eam quae dicitur *occulta per accidens*, eaque est, quae licet signo aliquo exteriore per se apto ad eam patefaciendam manifestetur; hoc tamen evenit, nemine vidente, aut audiente.

Q. V. *Quid sit Apostasia, & an specie differat ab haeresi?*

R. I. Apostasia est *recessus hominis baptizati a tota fide*. Ita *D. Thomas 2.2. q. 12. art. 1.* Hinc collige discrimen inter Haereticum, & Apostatam. Ille non in toto, sed in parte Evangelium denegat: Hic universae christianae legi nuntium remittit. Atque haec vera est, & potissima Apostasia. Dicuntur etiam Apostatae, qui a sacro ordine, vel a Religione, quam professi sunt, retrocedunt; sed de his alibi.

R. II. Specie Apostasia ab haeresi non differt, sed solum circumstantiam quandam mi-

iniquitatis aggravantem habet, ut loquitur *Angelicus* 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. ad 3. Utraque enim opponitur fidei jam susceptae, haec ex parte, illa ex toto. Verum si spectetur secta, ad quam deflectit Apostata, recedendo a vera Religione, illius infidelitatis speciem contrahit, ad quam accedit: Ut si ad Judaismum, reus erit Judaicae Infidelitatis; si ad Paganismum, Paganicae superstitionis culpam contrahit.

§. II.
De Ecclesiae Poenis in Haereticos, & Apostatas a fide.

Q. I. *Utrum Haeretici sint tolerandi?*

R. Cum D. *Thoma* 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. *Circa Haereticos duo esse consideranda, unum quidem ex parte ipsorum, aliud vero ex parte Ecclesiae. Ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solum ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem a mundo excludi....*

Ex parte autem Ecclesiae est misericordia ad errantium conversionem. Et ideo non statim condemnat, sed post primam & secundam correptionem, ut Apostolus docet: postmodum vero, si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum ab

Ecclesia separando per excommunicationis sententiam.

Q. II. *Quaenam sint Haereticorum Poenae?*

R. Duo esse poenarum genera in haereticos constituta: Primum spiritualium, alterum corporalium. De corporalibus ad nos non pertinet inquirere: poenae autem spirituales sunt.

Prima *Excommunicatio Major*, quae in toto Titulo *de Haereticis* decernitur adversus *haereticos universos, quibuscunque nominibus censeantur.*

Secunda est *jurisdictionis spiritualis Privatio*. Verum haec poena incurritur non tantum ratione ipsiusmet haereseos, sed rationae excommunicationis eidem adnexae, Quare haereticus a sua jurisdictione non excidit; nisi sit nominatim denunciatus.

Tertia poena est *Irregularitas*, de qua vide dicenda in *Tract. de Irregularit.*

Quarta est *Privatio dignitatum, beneficiorum*, atque ad ea in posterum obtinenda *Inhabilitas*. Circa hanc inhabilitatem quia cum haereticus excommunicatus sit & irregularis, collatio beneficii eidem facta, pleno jure irrita est, & expresse irrita declaratur in jure *cap. 2. de Haereticis in 6.* De beneficiis ante legitime obtentis vide dicta in *Tract. de Leg.*

Quinta est *Privatio sepulturae ecclesiasticae*, ut colligitur ex *cap.* Quicunque *de Hae-*

Haereticis in 6. Qui notos haereticos ſepultura donant, excommunicationi obnoxii ſunt.

Sexta eſt *Infamia*.

Excommunicationi pariter ſubjacent haereticorum credentes, fautores, receptatores, & defenſores, *cap.* 9. §. credentes *de Haereticis*.

CAP. I.

De Spei Natura, Objecto, & Subjecto.

Q. I. *Quid sit Spes Theologica?*
R. *Est virtus supernaturalis, qua certa cum fiducia aeternam beatitudinem Dei auxilio comparandam exspectamus.*

Explicatur definitio. Spes dicitur 1. *virtus*. Quia inclinat ac movet animum ad actum bonum, quod proprium est cujuslibet virtutis. Spes enim animum inducit ad exspectandam aeternam beatitudinem. Dicitur 2. *supernaturalis*. Quia Spes christiana vel accipitur pro habitu, & immediate a Deo infunditur; vel pro actu, & virtute divinae gratiae elicitur. Dicitur 3. *aeternam beatitudinem*: hae particulae Spem a ceteris virtutibus theologicis distinguunt. Fides enim Deum attingit, prout est prima veritas: Caritas, prout est summum bonum: Spes vero, prout est nostra beatitudo. Spes ergo Deum immediate respicit, cum virtus sit theologica: respicit vero ipsum Deum sub ratione aeternae beatitudinis, prout est peculiaris virtus a fide &

caritate distincta. Ultimo adducuntur hae particulae, *auxilio Dei comparandam*. Quia actus, quibus aeterna beatitudo exspectatur, divinae gratiae auxiliis elici debent.

Spes, sicut & fides, in *actualem*, & *habitualem* dividitur. Actualis est actus, quo creatura rationalis certa cum fiducia aeternam beatitudinem exspectat. Habitualis est permanens voluntatis ad Dei possessionem inclinatio.

Dividitur praeterea in *formatam*, quae in Justis conjuncta cum caritate reperitur, quaeque virtutum omnium forma seu perfectio est; & in *informem*, quae reperitur in peccatoribus caritate destituta. Spes enim non destruitur, nisi per peccatum desperationis: sicut fides non extinguitur, nisi per peccatum infidelitatis. Porro Spes etiam a caritate sejuncta non definit esse vera virtus, ac supernaturale Dei donum, ut patet ex Tridentino *sess.* VI. *cap. 6.* ubi de peccatoribus dicitur, quod ad *considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.*

Q. II. *Quodnam sit Spei Objectum?*

R. Spei, sicut cujusque virtutis, duplex est Objectum, *materiale* unum, *formale* alterum. Hinc

Assero I. *Objectum materiale Spei adaequatum, prout primarium, & secundarium complectitur, est ipse Deus, & omnia media,*

dia, quae ad illum conducunt.

Prob. 1. pars. Quia Deus est id, quod primo & per se a Spe exspectatur: cum Deus ipse sit futura merces bonorum operum, quam per Spem exspectamus juxta illud *Geneseos* XV. *Ego ero merces tua magna nimis.*

Prob. 2. pars. Quia media, quae ad acquisitionem aeternae beatitudinis movent ac conducunt, secundario, & in ordine ad finem a Spe expetunur. Ergo sunt secundarium illius objectum. Hinc objectum materiale secundarium Spei sunt auxilia divina, bona opera, gratiarum vi parta. Item bona temporalia, quatenus per bonum usum ex gratia Dei ad salutem adducere possunt. Uno verbo, omnia quae in Oratione Dominica continentur.

Assero II. *Objectum* formale quod *Spei bonitas est divina sive in se sumta, sive prout est creaturae rationalis beatitudo; modo tanquam absens, & possidenda consideretur.*

Prob. Objectum *formale quod* Spei est ratio illa, sub qua Spes divinam attingit bonitatem. Spes enim cum ~~fit virtus~~ theologica, cujus subjectum est voluntas, nequit respicere nisi divinam bonitatem. Sed Spes divinam respicit bonitatem sub utrâque ratione, scilicet prout est bonum in se, & prout est bonum nobis conveniens. Ergo divina bonitas sub utrâque ratione est

 obje-

objectum *formale quod* Spei. Minor prob. Nam in terris cum fiducia exspectamus quod in Caelis possidebimus. Sed in Caelis sub utroque respectu divinam bonitatem possidebimus: In Caelis enim summo Bono fruemur, cujus possessione perfecte beati erimus. Ergo sub utrâque ratione Spes divinam attingit bonitatem.

Dixi, *modo tanquam absens, & possidenda consideretur*. Nam Spes essentialiter respicit objectum futurum. Quare absentiam objecti sperati essentialiter supponit.

Hinc colliges discrimen Spem inter, & Caritatem. Caritas enim abstrahit a praesentia objecti absolute dilecti: Spes contra essentialiter supponit bonitatem, & absentiam objecti sperati, quod praecise ut possidendum respicit. Et licet hae virtutes sint inter se distinctae, ajente Apostolo I. *ad Cor.* XIII. *Nunc autem manent Fides, Spes, & Caritas, tria haec: major autem horum est Caritas:* differentia tamen isthaec repetenda potius est ex diverso modo, quo Spes, & Caritas idem objectum prosequuntur, divinam nempe bonitatem, quam ex diversitate objecti.

Nota, ex *D. Thoma* 1. 2. *q.* 40. *art.* 5. quatuor conditiones in Spei objecto esse attendendas. *Prima, quod sit bonum... Secunda, ut sit futurum: non enim Spes est de praesenti jam habito... Tertia requiritur, quod sit aliquid arduum cum difficul-*

cultate adipiscibile . . . Quarta , quod illud arduum sit possibile adipisci .

Assero III. *Objectum* formale quo *est promissio divina .*

Prob. Objectum *formale quo* alicujus virtutis dicitur medium illud , seu ratio illa ; qua virtus suum attingit objectum . Sed divina promissio est medium , quo Spes suum attingit objectum . Ergo &c. Spes enim cum fiducia aeternam exspectat beatitudinem , quam Deus usque in finem perseveraturis in justitia promisit . Ergo divina promissio est medium , quo Spes attingit suum objectum *formale quod* , seu aeternam beatitudinem .

Hinc colliges I. resolvi Spem in divinam promissionem , tanquam in motivum, cui proxime & immediate innititur : contra resolvi in omnipotentiam Dei auxiliatricem remote , & tanquam in conditionem . Nam ut Deus suas exsequi magnificas promissiones possit , omnipotens sit necesse est .

Colliges II. ex parte Dei Spem esse certam , cum motiva quibus remote nititur, sint certa & firma : Ut sunt divina misericordia , omnipotentia , fidelitas in promissis per Christi merita factis : Hinc Spem vocat Apostolus *ad Hebr.* VI. *Ancoram animae tutam ac firmam* , ad quam quasi a fluctibus humanarum vicissitudinum delati confugimus . Ex parte vero nostri esse incertam ; cum certi non simus de nostra

cooperatione, & perseverantia ad salutem necessaria: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum reservantur incerta*, Ecclesiastae IX. Hinc Scripturae Sanctae nos admonent, cum timore & tremore salutem nostram peragere: & apposite *Gregorius Magnus lib. 29. Moral. cap. 9.* scribit: *Debet profecto non solum in Spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione; ut & illa certantes foveat, & ipse torpentes pungat.*

Q. III. *Quodnam sit Spei Subjectum?*

R. Spei Subjectum creaturas esse, in quibus Spes reperitur. Hinc pro diverso statu, in quo creaturae illae exsistunt, quaeri potest, utrum in iis Spes reperiatur.

Assero I. *In Beatis Spes Theologica non reperitur.*

Prob. Deest in patria objectum Spei, quod est bonum arduum, & futurum. Ergo &c. Beati enim jam Deum possident, ac proinde beatitudo est ab illis possessa, atque intime praesens. Actus vero, quibus Beati proprii corporis gloriam exspectant, non sunt actus Spei, ut docet *Angelicus* 2. 2. *q.* 17. *art.* 2. *ad* 4. *Cum Spes sit virtus theologica, habens Deum pro objecto; principale objectum Spei est gloria animae, quae in fruitione divina consistit, non autem gloria corporis.* Item actus, quibus Beati aliis sperant beatitudinem, non sunt habitus Spei, sed caritatis, ut ait ibid. *Angelicus ad* 3. Asse-

Assero II. *In Damnatis non est Spes.*

Prob. Damnati de sua aeterna poena sunt certi. Ergo beatitudinem neque ut possibilem, neque ut futuram concipere valent.

Assero III. *In animabus Purgatorii Spes Theologica reperitur.*

Prob. Purgatorii animabus adhuc absens est beatitudo futura & ardua, quae Spei objectum constituit. Ergo &c. Neque obtinendae beatitudinis securitas Spei impedit exercitium. Beatitudo enim ab illis non obtinetur, nisi post severam atrocemque expiationem, ac poenarum solutionem.

Assero IV. *In haereticis Spes christiana non est.*

Prob. In haereticis fides theologica non reperitur, sicut supra ostensum est. Ergo nec in eisdem reperitur christiana Spes. Fides enim, cum sit Spei fundamentum, submoto fundamento, corruat Spes cui superstruitur, necesse est.

Assero V. *Spes christiana reperitur in impio fideli, h. e. in catholico, qui in statu peccati mortalis jacet.*

Prob. Quia peccatum non impedit, quominus catholicus peccator concipere aeternam salutem valeat vi auxilii divini possibilem, & futuram.

Assero VI. *Spes Theologica, quod ad actum, & habitum in Justis viatoribus reperitur, quantacunque caritate praediti supponantur.* O 6 Prob.

Prob. Spes consistit in efficaci desiderio & exspectatione cum fiducia Deum possidendi, ut est summum Bonum sive in se, sive nobis conveniens. Sed hujusmodi desiderium, & exspectatio quoad actum, & habitum in Justis omnibus viatoribus etiam perfectissimis reperitur. Ergo &c.

Prob. Minor. Justis omnibus etiam perfectissimis Deus diligendus proponitur sub utroque respectu, prout scilicet est bonum in se, & prout est bonum nobis conveniens. Ergo in Justis omnibus etiam perfectissimis Spes Theologica reperitur. Antecedens demonstrabitur in *Tract. de Carit.*

Prob. Conseq. Amor ex consensu Patrum, & Scholae essentialiter ad unionem tendit, & quo major & intensior est amor, eo majora & intensiora sunt desideria unionis, amantis scilicet, & ejus quod amatur. Sed Spes ex dictis est desiderium efficax, & exspectatio Deum possidendi. Ergo si in Justis caritas erga Deum reperitur, sive ut est bonum in se, sive bonum nobis conveniens, Spes sub utroque respectu reperiatur necesse est.

Confirmatur insuper assertio exemplis Sanctorum. Et sane actus Spei locum habuerunt in *Mose*, *Davide*, *Paulo* &c. qui certe inter sanctas, sublimesque animas numerari debent. Ergo & in ceteris Justis etiam perfectissimis Spes reperitur. Prob. Antecedens. *Moses*, *David*,

vid, *Paulus* aeternae felicitatis desiderio, & obtinendae beatitudinis amore ardebant. De *Mose* quidem haec habentur *ad Hebr.* XI. 26. *Majores divitias existimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem. David* haec scribit de semetipso *Psal.* 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*. Et D. *Paulus* continuo anhelabat justitiae coronam, bravium, atque aeternam civitatem assequi: *Non habemus hic* (scribit *ad Hebr.* XIII.) *civitatem permanentem, sed futuram inquirimus*. Ergo actus Spei, prout dicunt desiderium, & exspectationem cum fiducia Deum possidendi, ut est beatitudo nostra, corona nostra, merces nostra, gaudium & laetitia nostra, reperiuntur etiam in perfectissimis.

Ex dictis colliges, erronea & commentitia esse haec duo *Quietistarum* principia, afferentium, 1. puritati, ac perfectioni divini amoris officere nostrae felicitatis desiderium, & aeternae mercedis exspectationem. 2. Sublimes, ac puriores animas indifferentes esse tum ad aeterna supplicia, tum ad felicitatem beatam. Quae duo fundamenta divinae Providentiae ordinem pervertunt: truncum, & statuam insensibilem efficiunt animam: industriam, vigilantiam, bona opera, merita hominis de medio tollunt. Merito igitur *Innocentius* XII. falsam & commentitiam divini amoris ideam a *Quie-*

a *Quietistis* assertam damnavit, proscriptis XXIII. propositionibus decerptis ex libro Archiepiscopi Cameracensis *Francisci de Salignac* de Doctrina Sanctorum, quarum prima sic se habet: *Datur status habitualis amoris Dei, qui est caritas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse: neque timor poenarum, neque desiderium remunerationis habent amplius in eo partem: non amatur amplius Deus propter meritum, neque perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Non derogat ergo christianae perfectionis rationi desiderium nostrae felicitatis, & aeternae beatitudinis cum fiducia exspectatio; neque christiano licet indifferentem esse ad aeternam salutem, & ad res quae in eam referuntur. *Sancta indifferentia christiana*, ajebat *Bossuetius* in opusculo, cui titulus: *Quietismus Redivivus sect. 7. eventus hujus vitae* (excepto peccato) *solatiorum, atque ariditatum spiritualium dispensationem spectat.*

CAP. II.

CAP. II.

De Praecepto Spei, & Vitiis ei oppositis.

Q. I. NUm *detur praeceptum speciale Spei?*

R. Affir. Constat ex variis Scripturae locis, in quibus lex divina Spei exercitium jubet imperatque. *Sperate in Domino omnis congregatio populi*, *Psal.* LXI. *Sperate in eam quae offertur vobis, gratiam*, *Petri* I. Adde damnatam propositionem ab *Alexandro* VII. *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actus Fidei, Spei, & Caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Insuper actus Spei Theologicae, sicut & actus Fidei, adultis omnibus necessarius est necessitate medii ad salutem. *Spe enim salvi facti sumus*, dicitur *ad Rom.* VIII. De hac medii, & praecepti necessitate vide dicta in *Tract. de Fide*.

Q. II. *Ad quid obliget Spei praeceptum?*

R. Spei praeceptum imperat ad eliciendos actus Spei, aliosque connexos, & ad amplectenda omnia media ad beatitudinem con-

consequendam necessaria: prohibet vero praesumtionem, desperationem, & incuriam salutis.

Q. III. *Quo tempore urgeat hujus praecepti observatio?*

R. cum distinct. Prout est negativum, obligat semper ad non desperandum, ad non praesumendum de aeterna salute: prout est affirmativum, obligat aliquando *per se*, aliquando *per accidens*.

Praeceptum Spei per se obligat, 1. initio usus rationis. 2. Quoties urget gravis tentatio contra Spem. 3. Saepius in decursu vitae. 4. Instante mortis periculo.

Obligat vero per accidens, 1. quando urget exercitium aliarum virtutum, quae sine praevio actu Spei exerceri nequeunt. 2. Quando actus Spei opportunus judicatur ad repellendas graves tentationes, irae scilicet, cupiditatis &c.

Q. IV. *Quaenam sint peccata Spei opposita?*

R. Duo esse virtuti Spei praecipue contraria vitia, *praesumtionem* scilicet, & *desperationem*: Illa per *excessum*, haec per *defectum*. Porro Desperatio *est animi dejectio, qua quis beatitudinem prosequi refugit ex apprehensione difficultatis, vel impossibilitatis illam consequendi*. E. G. Apprehendit aliquis, se capacem amplius non esse obtinendae Beatitudinis ob criminum multitudinem, cordisque duritiem; vel quia ju-

judicat adeo difficilem esse mandatorum Dei observantiam, & peccati fugam, ut & haec vitare, & illa implere posse omnino desperet.

Praesumtio *est inordinata confidentia obtinendi a Deo gratiam, & gloriam, ceteraque dona supernaturalia aliter, quam ipse statuit obtinenda.* Quod duobus modis contingere potest, 1. cum quis inordinate innititur propriae virtuti, & viribus; ut propriis viribus & per opera naturalia gloriam obtinere praesumat, ut somniarunt *Pelagiani*. 2. Cum quis inordinate nititur potentiae, & misericordiae Dei, puta sperando beatitudinem aeternam sine propriis meritis, ut *Calvinistae*. Item si perseverare in peccato statuat usque ad finem vitae, sperans se in eo articulo facile veniam obtenturum.

Q. V. *An haec peccata sint semper cum haeresi conjuncta?*

R. Neg. Sed solum, quando conjunguntur cum intellectus errore, ut accidit in praesumtione *Pelagianorum*, & *Calvinistarum*. Secus, si ex cordis corruptione peccator desperet, vel praesumat; quia conveniens sibi existimat desperare, vel praesumere, ut liberius peccet.

Q. VI. *Utrum praesumtio, & desperatio ex genere suo sint peccata gravia?*

R. Affir. Quia virtuti theologicae opponuntur, & sunt graviter Deo injuriosa.

Ista

Ista duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa Spes, ait *Augustinus de Verbis Evangelii serm.* 87. Hinc 1. graviter peccant qui ex diffidentia divinae bonitatis vellent numquam fuisse, vel annihilari. 2. Qui sperant se absque poenitentia veniam peccatorum consecuturos. 3. Qui deliberate cupiunt perpetuo in hac vita manere, & magis amare bona creata, quam Dei possessionem. 4. Qui Spe misericordiae Dei vel in peccatis perseverant, vel postquam lapsi sunt in unum peccatum, multa alia committunt, eo quod aeque facile sit obtinere veniam multorum, quam unius.

TRA-

TRACTATUS DE FIDE, SPE, ET CARITATE.

PARS III.

De Caritate.

ULtimam hujus tractationis partem Caritas occupat, quae aliarum virtutum finis est & meta. Ceterarum enim virtutum exercitia ad Caritatem ordinantur, quae est praecepti finis, ut dicitur I. *ad Tim.* I. Et sane Caritas vinculum illud est, quo homo Deo unitur, quae unio totius spiritualis vitae finis est & meta. Itaque de hac maxima virtute agentes, expendemus 1. naturam, & objectum. 2. Necessitatem. 3. Ordinem. 4. Actus. 5. Demum vitia ei opposita. In his inutiles quaestiones, quae mentem torquent, missas faciemus: sed ea tantum argumenta tractabimus, quae veram & sanctam divini amoris artem edocent.

CAP. I.

C A P. I.

De Caritatis Natura, & Objecto.

Caritatis natura in illius definitione continetur: *Caritas est Virtus Theologica divinitus infusa, qua Deus propter se, & proximus propter Deum diligitur.*

Singulas exponamus hujus definitionis particulas. Dicitur 1. *Virtus*, quia ad bonum inclinat. Dicitur 2. *Theologica*; quia Deum immediate respicit, & quidem perfectissime. Nam fides credit, spes inquirit, sed Caritas quasi tenet, & nunquam excidit, quia Caritas viae manet etiam in patriâ. Recte ergo colligit Apostolus II. *ad Cor.* XIII. omnium virtutum majorem esse Caritatem. 3. *Divinitus infusa*; quia Caritas Theologica supernaturalis est, quae a solo Deo animabus nostris infunditur, ajente Apostolo *ad Rom.* V. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. 4. *Qua Deus propter se diligitur*. Quia Caritas ultimo terminatur ad Deum: Spes contra etiam diligit Deum super omnia, sed in Deo non sistit, cum Deum sibi propitium desideret. 5. Demum dicitur, *proximus propter Deum*: In hac particula *proximus* primo nos, dein-

ceps

ceps omnes creaturae rationales aeternae gloriae capaces intelliguntur, sed cum debito ordine; ita ut omnis dilectio nostra in nos & proximum referatur in Deum, tanquam in finem ultimum.

Caritas dividitur in *habitualem*, & *actualem*. Habitualis est dilectio permanenter animae inhaerens, donec per mortale peccatum expellatur: Actualis vero est actus, quo animus in Deum fertur.

Caritas actualis dividitur in *perfectam*, qua Deus non solum super omnia, sed etiam intense diligitur; sive est illa, quae multos habet intensionis gradus: & in *imperfectam*, qua Deus vel non super omnia, vel si super omnia, in gradu tamen valde remisso diligitur.

Agimus nunc de Objecto Caritatis, sive de rebus, quae a nobis amore Caritatis amandae sunt: A Scholasticis pro more dividitur in objectum materiale *primarium*, & *secundarium*, in formale *quod*, & *quo*, unde fit

Prop. I.

Primarium Caritatis Objectum est Deus, secundarium nos ipsi, & proximus.

Prob. 1. pars. Deus est, quem primo & principaliter Caritas respicit, & in quo terminatur, cum in Deum omnia referre debeamus. *Diliges Dominum Deum tuum . . . hoc est primum, & maximum mandatum*, ait Christus *Matth.* XXII. Er-

Ergo Deus est objectum Caritatis primarium.

Prob. 2. & 3. pars. Objectum secundarium alicujus virtutis est quod virtus secundario respicit, & in ordine ad finem principalem. Sed Caritas secundario respicit nos, & proximum in ordine ad Deum. Ergo &c. *Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut teipsum*, sequitur Christus ibid. Ubi nota, quod hoc Scripturae loco etsi expresse non loquatur de dilectione erga nos ipsos; implicite tamen dilectio nostri imperatur. Nam qui proximum diligere jubetur sicut seipsum, implicite tenetur seipsum diligere. Ita *Augustinus de Doct. Christ. cap.26.*

Proximi nomine jam diximus hîc intelligi omnes creaturas rationales beatitudinis capaces. Quare secundarium Caritatis objectum erit omnis creatura rationalis, cui beatitudinem, aliaque bona supernaturalia ad ipsam conducentia velle possumus. Et 1. est omnis homo viator sive fidelis sive infidelis, sive justus sive peccator, quia his omnibus beatitudinem, & media ad ipsam consequendam, puta fidem, vel poenitentiam velle debemus. 2. Omnis homo comprehensor. 3. Eâdem de caussa sancti Angeli, de quorum aeterna beatitudine gaudere debemus, & *a quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis*

cis animadvertere facile est, ait *Augustinus lib.* 1. *de Doct. Christ. cap.* 20. 4. Christus ut homo, qui ut talis capax est, & particeps suae beatitudinis. 5. Creaturae statu, & natura inferiores non ingrediuntur objectum secundarium Caritatis, cum beatitudinis capaces non sint: possunt tamen aliquo modo diligi, quatenus in Dei gloriam referuntur. Vide *D. Thomam* 2. 2. *q.* 25. *art.* 9.

Prop. II.

Deus ut est in se bonus ac perfectus, est primarium ac praecipuum, imo etiam specificum Caritatis objectum.

Prob. Objectum specificum ac primarium, seu, ut Schola loquitur, objectum *formale quod* alicujus virtutis est perfectio illa, quam virtus primario in objecto attingit. Atqui Caritas primario Deum respicit, prout est in se bonus, ac perfectus. Nam Caritas cum sit voluntatis actus, non potest Deum respicere, nisi sub ratione boni, & quidem principaliter prout est in se bonus ac perfectus. Ergo &c. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 23. *art.* 3. *ad* 2. *Caritate diligitur Deus propter seipsum. Unde sola ratio diligendi attenditur principaliter a Caritate, scilicet divina bonitas, quae est ejus substantia secundum Psal.* 105. Confitemini Domino, quoniam bonus: *aliae autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes*,

tes, sunt secundariae , & consequentes ex prima. Quaenam vero sint hae secundariae rationes, quae ex S. Doctore ad Deum diligendum inducunt, accipe in sequenti propositione.

Prop. III.

Deus ut benevolus, ac beneficus, non minus est verum, ac necessarium, licet secundarium motivum Caritatis: sive divina bonitas, prout est bonum nobis conveniens, est objectum formale quod *Caritatis , licet secundarium.*

Prob. I. Ex praecepto Caritatis in Scripturis expresso Deum diligere jubemur, ut est Dominus, ut est Deus noster. Item ut ipse conglutinatus est nobis, ut bene sit nobis. *Deut.* VI. 3. & 5. *Audi Israel... ut bene sit tibi... Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. & X. 15. *Patribus tuis conglutinatus est Dominus*. Sed Deum diligere non absolute, sed ut est Dominus, ut Deus noster, ut bene sit nobis, quia conglutinatus est nobis, est illum diligere sub ratione boni nobis communicativi, nempe quia benevolus ac beneficus, amator generis humani, ac bonorum omnium largitor. Ergo ex ipso Caritatis praecepto in Scripturis expresso ratio proxima diligendi Deum, si non sola, certe ut vera, est ejus benevolentia, ac beneficentia.

Confirmatur idem argumentum. Bene-

nevolentia, ac beneficentia Dei erga genus humanum reddunt Deum fumme amabilem. Nam quo magis Deum benevolum, ac beneficum agnofcimus, eo magis agnofcimus bonum. Ergo benevolentia, ac beneficentia funt motiva proxima Deum diligendi.

Prob. II. Amare Deum fub ratione amantis eft illum diligere fub ratione boni nobis communicativi. Sed Scriptura hanc rationem diligendi Deum nobis proponit, fi non ut folam, & primam, certe ut veram: *Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*, I. *Joan.* IV. 19. Ergo &c.

Prob. III. Chriftus Dominus vera caritate eft per fe proxime diligendus, ut hominum amator, ac Redemtor. *Caritas Chrifti urget nos: aeftimantes hoc, quoniam fi unus pro omnibus mortuus eft .... Chriftus: ut & qui vivunt, jam non fibi vivant, fed ei qui pro ipfis mortuus eft, & refurrexit*, II. *ad Cor.* V. 14. & 15. Sed diligere Chriftum ut hominum amatorem, ac Redemtorem eft amare Deum benevolum, ac beneficum. Nam fub Deo benevolo, ac benefico intelligendus venit Chriftus Dominus hominum Salvator ac Redemtor.

Prob. IV. Ex Patribus, quorum adduco unum *Bernardum* in arte amandi Deum peritiffimum, qui libro *de dilig. Deo, cap.*

1. *num.* 1. & *cap.* 7. *num.* 17. has duas recensitas caussas amandi Deum commemorat, dum quaerit, quo merito suo, quo commodo nostro Deus propter seipsum diligatur. Verba Sancti sunt: *Ob duplicem ergo caussam Deum dixerim propter seipsum diligendum, sive quia nihil justius, sive quia nihil fructuosius diligi potest. Ad primum pertinet, quo suo merito: ad secundum, quo nostro commodo diligatur.*

Prob. V. Demum auctoritate *D. Thomae*, qui 1. 2. *q.* 65. *art.* 3. *ad* 1. docet, bonum divinum, quatenus est objectum beatitudinis, a Caritate spectari, inquiens; *Caritas non est quilibet amor Dei, sed amor Dei quo diligitur, ut beatitudinis objectum.* & 2. 2. *q.* 26. *art.* 13. *ad* 3. docet, quod si per impossibile Deus non esset totum hominis bonum, id est hominum beatitudo, non esset illis ratio diligendi. En verba S. Doctoris ita inferentis; *Quod unicuique erit Deus tota ratio diligendi, eo quod Deus est totum hominis bonum. Dato enim per impossibile, quod Deus non esset totum hominis bonum, non esset ei ratio diligendi.*

Consentit *Angelico* Magistro *Scotus*, alioqui non solitus consentire, qui in *Reportatis Parisiensibus dist.* 27. *q. unic.* haec habet: *In Deo prima ratio diligibilitatis est honestas sua: secunda ratio praecedens actum, quia amavit nos creando.* Idem docet *S. Bonaventura*, *Sylvius*, *Estius*, aliique Scho-

Scholae facile Principes: adeo ut nostra de gemino Caritatis motivo, Dei nempe perfectissimi, ac se communicantis, totius Theologici ordinis sententia esse videatur, ut testatur *Bossuetius* in opusculo, cui titulus: *Schola in Tuto q. 4. art. 8. num. 94.*

Itaque totius argumentationis summa huc recidit, nimirum

Ratio diligendi est bonum: non enim amatur nisi bonum, nisi sub ratione boni. Appetitus ipse voluntatis est appetitus boni: exiret extra sphaeram, si aliud appeteret.

At bonum & absolutum & relativum: absolutum est perfectum in se: relativum est perficiens alios. Sed 1. relativum fundatur in absoluto: non enim perficere potest alios nisi perfectum: nec perficere nec beatificare nisi perfectione sui, habitudine sui ipsius.

2. Absolutum includitur in relativo, & vicissim: adeo ut unum non excludat aliud, immo nec praescindat nisi penes implicitum & explicitum. Sic Deus bonus, perfectus, beatus in se includit implicite rationem boni, perfecti, beati nobis: & reciproce: perfectus, bonus, beatificus nobis includit rationem perfecti, boni, beatifici in se: nec enim nos beatificare posset nisi perfectus & bonus in se, & nisi perfectione ipsa, bonitate ipsa sui nobis testata & communicata.

Hinc 1. ratio, radix, principium di-

ligendi Deum est bonitas absoluta. 2. Quae in prima radicem agit, est bonitas relativa: praescindi haec possunt penes implicitum & explicitum, non penes excludens & exclusum: ordinari possunt, separari a caritate non possunt.

Recentiores quidam Summistae Deum ut beneficum ab objecto formali Caritatis excludunt. En ipsorum momenta. I. Si staret utrumque Caritatis incentivum, nempe Dei boni in se, ac nobis communicantis, nullum esset specificum spem inter, & Caritatem discrimen. II. Caritas non esset amplius amor ille gratuitus, qui Deum pro objecto haberet propter se dilectum, adeo ut adhuc diligeretur, si adhuc non esset summum hominis bonum; sed esset mercenaria aeque ac spes. III. Diligere Deum propter beneficia non est actus verae caritatis, sed gratitudinis. Ex his concludit *Nicolaus Mazzotta Moral. Theolog. Tract. 2. disp. 1. quaest. 1. q. 4. Quod quamvis amor Dei ut creatoris, ut benefactoris, ut Redemtoris, ut glorificatoris sit supernaturalis, & sanctus; tamen non sufficit ad observantiam hujus praecepti, nempe Caritatis; quia non est proprie dilectio Dei, & actus Caritatis, sed potius actus gratitudinis, Religionis.*

Ad I. R. cum *D. Thoma*, qui 2. 2. *q.* 23 *art.* 6. *ad* 3. tribus verbis hanc solvit objectionem, inquiens: *Idem bonum est*

est objectum Caritatis, & Spei: sed Caritas importat unionem ad illud bonum; Spes autem distantiam quamdam ab eo. : & inde est, quod Caritas non respicit illud bonum ut arduum, sicut Spes. Quod enim jam unitum est, non habet rationem ardui. Non ergo ex diversitate objecti, sed ex diverso modo tendendi in idem objectum repetit S. Doctor specificum spem inter, & Caritatem discrimen.

Hinc colliges I. cur Spes ab eodem S. Doctore 2. 2. *q.* 17. *art.* 8. vocetur imperfecta, amor imperfectus: Caritas contra appelletur amor perfectus; quamvis utraque tendat in idem Beatitudinis objectum. Quia illa, nempe Spes, tendit in aliquid absens, & adeptu arduum, quod est imperfectum: haec, nempe Caritas, tendit in aliquid praesens, atque conjunctum, in quo perfectio est.

Hinc colliges II. Cur Caritas, & non Spes sit per se justificans: quia Caritas est per se uniens, amicos nos faciens Deo; quod procul abest a Spe.

Ad II. R. cum *S. Bonaventura* in III. *dist.* 26. & 27. *art.* 2. *ad* 4. non esse inconveniens dicere, *quod motus Caritatis possit esse mercenarius, si dicatur mercenarius ex intuitu mercedis aeternae, & increatae... quia maxima Caritas maxime desiderat uniri Deo, & habere Deum.* Ad id vero, quod in objectione dicebatur, Deum

adhuc esse diligendum, si adhuc non esset summum hominis Bonum, reponimus quod supra laudavimus ex *D. Thoma*, quod *dato per impossibile, quod Deus non esset totum hominis bonum, non esset ei ratio diligendi*.

Ex his collige, quomodo intelligendae sint quaedam Sanctorum impossibiles suppositiones, in quibus Sancti videntur pro gloria Dei desiderio salutis renunciasse, ut est illud *Mosis Exodi* XXXII. 31. & 32. *Aut dimitte ei hanc noxam... aut dele me de libro tuo, quem scripsisti:* & illud *Pauli ad Rom.* III. 9. *Optabam anathema esse pro fratribus meis:* nisi quod pii excessus, & piae hyperbolae sint ex vehementia affectus. *Audi sanctam insaniam*, ait *Guilielmus S. Theodorici Abbas Bernardo* suppar *de dignit. & nat. amor.* Sive excedimus Deo. *Vis adhuc audire insaniam?* Sin autem dele me de libro vitae. *Vis aliam? ipsum audi Apostolum:* optabam anathema esse &c.

Ad III. R. cum *Suaresio*, qui de Fide, Spe, & Caritate *Tract.* 3. *disp.* 1. *sect.* 2. *num.* 3. *ad* 2. ait, *hunc actum* (amandi Deum propter beneficia nobis collata) *regulariter esse imperatum a gratitudine; tamen est elicitive a Caritate*. En a *Caritate*, idque elicitive: subdit: *Cum Deus perfecte amatur, propter beneficium potius amatur, quia nos amat: hoc autem Cari-*

ta-

tatis est, & amicitiae: neque actus hujus ratio objectiva est extra divinam bonitatem. Nam amor quo Deus nos amat, ipse Deus est, & summa quaedam perfectio ejus: item ipse nos amat, quia bonus est. Unde quia amatur, eo quod amat, amatur etiam, quia bonus est.

Atque haec sufficiant, ut intelligatur, Deum ut in se optimum, ac beatissimum, specificum esse objectum, sine quo Caritas nec esse, nec intelligi, aut cogitari possit: Deum vero ut benevolum, ac beneficum, motivum esse secundarium, & in primario saltem virtute comprehensum.

Q. I. *Quodnam sit objectum* formale quo *Caritatis, sive ratio illa, sub qua Caritas divinam attingit bonitatem?*

R. Est ipsa Divina bonitas. In circulum enim resolvitur Caritas. Amamus ergo Deum summe bonum, quia est summe bonus.

Q. II. *Quaenam sint Caritatis praerogativae?*

R. Innumerae sunt, quas modo describere non vacat, sed quasdam adumbrare omittendum non est.

Prima itaque Caritatis praerogativa est amicitia Deum inter & hominem, Christo attestante: *Vos amici mei estis*. Et iterum: *Dico autem vobis amicis meis*. Et iterum de *Abraham*: *Et amicus Dei appellatus est*: & toto Veteri, Novoque Testa-

mento passim. Quare amor Caritatis vocatur proprie amor amicitiae, quippe quo Deus amatur ut amicus. Et sane jura omnia, quae amicitia sibi vindicat, Caritas possidet, mutuam scilicet benevolentiam, bonorumque communicationem. Caritas enim est amor benevolentiae, quo Deum nos amamus; & vicissim ille infinito nos suo amore prosequitur: *Ego diligentes me, diligo, Proverb.* VIII. Cor nostrum in sacrificium illi litamus, ipse vero infinita sua bona nobis communicat.

Secunda Caritatis praerogativa est valor, quem ceteris operibus tribuit. Nam reliquarum virtutum opera de condigno gloriae aeternae meritoria non sunt, nisi ex Caritate tanquam ex radice dependeant: *Nihil viriditatis*, ajebat *Gregorius Magnus hom. 7. in Evang. habet ramus boni operis, nisi manserit in radice dilectionis*: Quod intellige non solum de Caritate habituali, verum etiam de aliquo actualis Caritatis influxu, quo ceterarum virtutum actus in Deum tanquam finem ultimum supernaturalem actu, vel virtute referantur. *Meritum vitae aeternae*, ait *D. Thomas* 1. 2. *q.* 114. *art.* 4. *primo pertinet ad Caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a Caritate imperantur*. Hinc Christus Dominus aeternae vitae mercedem bonis operibus promisit, non quibuscunque, sed si

fiant

fiant propter *nomen ejus*, *Matth.* XIX. *Nam coronam vitae aeternae promisit Deus* non quibuscunque, *sed diligentibus se*, *Jacobi* I.

CAP. II.

De Caritatis Praecepto.

DUo sunt Caritatis praecepta: primum & maximum, quo diligimus Deum; alterum quo amamus proximum. De utroque igitur distinctis sectionibus nunc agendum est.

Sectio I.
De Praecepto Deum diligendi.

Tria hic nobis sunt expendenda, 1. an detur speciale praeceptum diligendi Deum actu interno. 2. An hic actus sit necessarius ad salutem. 3. Quibus temporibus potissimum urgeat hoc divinum mandatum diligendi Deum.

§. I.
De Exsistentia hujus specialis praecepti Deum actu interno diligendi.

Nota. Recentiores quidam Theologi,

etsi divinum hoc praeceptum amandi Deum aperta fronte negare non sint ausi: variis tamen distinctiunculis illud de medio tollere conati sunt. Autumarunt enim hoc divinum mandatum non praecipere formalem, explicitumque amoris actum, sed duntaxat praeceptorum divinae legis observationem. Hinc docuerunt, fideles maximum hoc potissimumque mandatum implere, si cetera divinae legis praecepta servaverint: neque ullam esse eliciendi actus Caritatis obligationem per se, & vi virtutis Caritatis, sed tantum per accidens, quando scilicet actus Caritatis medium reputatur ad alia implenda praecepta necessarium.

Prop. unica.

Datur speciale praeceptum per se obligans ad actum explicitum amoris Caritatis, qua Deum super omnia diligimus.

Prob. Ex illo *Deuter.* VI. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua* &c. Quod praeceptum *Matth.* XXI. dicitur *primum* & *maximum*. His positis, sic arguitur. Illud praeceptum erit speciale, & per se obligans ad sui exercitium, quod primo, & maxime praecipitur. Atqui ita in Scriptura praeceptum Caritatis exprimitur. Ergo &c.

Praeterea si praeceptum dilectionis non esset speciale, sed generale, & in aliis

aliis praeceptis imbibitum, ejus toties in Scripturis repetita promulgatio inanis & otiosa esset. Ergo ne dicamus, Deum legislatorem sapientissimum nihil agendum praecipere in mandato tam diserte descripto, tam frequenter inculcato; dicendum est, mandatum hoc speciale esse & peculiare, jubens per se actum amoris.

Dices: Illud praeceptum non est speciale, quod per observationem aliorum mandatorum impletur. Sed sic se habet praeceptum dilectionis, dicente Christo *Joan.* XIV. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui me diligit.* Ergo &c. Adde *Bernardum*, qui *serm.* 10. *in Cantica* duplicem amorem distinguens, *effectivum* unum, qui in operibus exterioribus, seu in aliorum praeceptorum adimpletione reperitur; *affectivum* alterum, qui in corde latet: docet primum, non alterum in Scriptura imperari.

R. Ad I. Verba Christi intelligenda sunt, non quod praeceptum dilectionis impleatur per solam externam aliorum praeceptorum observationem; sed quod dilectio sit caussa, quae movet, & impellit nostram voluntatem ad totius legis observantiam. *Si quis diligit me*, ait Christus eod. loc. *sermonem meum servabit .... qui non diligit me, sermones meos non servat.*

R. Ad II. & dico, amorem effectivum a *Bernardo* assertum non esse Caritatem il-

iam externam ab adversariis propugnatam, sed Caritatem internam quidem, quae per reliquorum praeceptorum observantiam manifestatur. *Probatio* enim *dilectionis*, ait *Gregorius Magnus*, *exhibitio est operis*: amorem vero affectivum esse quandam interiorem suavitatem, qua Deus in Caelis Beatos semper inebriat, & in terris nonnunquam quasdam animas maxime pias consolatur.

§. II.

De Interioris Actus Caritatis Necessitate.

Nota. Qui negarunt speciale praeceptum Caritatis per se obligans ad actum amoris, consequenter negarunt ullam esse obligationem per se eliciendi hunc actum interiorem, & explicitum, ejusque omissionem esse graviter peccaminosam. Contra quos

Prop. unica.

Interior Caritatis actus adultis necessarius est ad salutem necessitate tum medii, tum praecepti.

Prob. 1. pars. Ille actus erit necessarius necessitate medii ad salutem, qui non modo utilis, sed etiam simpliciter necessarius ad eam consequendam in Scripturis asseritur. Sed talis asseritur in Scriptura actus explicitus & interior Caritatis. Ergo &c. Prob. minor *Lucae* X. ubi quidam le-

legis peritus a Christo quaesivit, quid necessarium esset ad aeternam salutem consequendam, dicens: *Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo*. Legis perito respondit Christus: *In lege quid scriptum est?...... ille respondens dixit: diliges Dominum Deum tuum*: cui Christus: *Recte respondisti; hoc fac, & vives*. Hic tria notanda sunt.

1. Eo loci quaeri medium ad salutem comparandam non modo utile, verum etiam simpliciter necessarium. 2. Ex lege perspicue declarari medium hoc, dilectionem Dei esse super omnia. 3. Directe asseri, hanc dilectionem actualem esse oportere. Nam ea Christi verba, *Hoc fac, & vives*, non otiosum habitum, sed formalem explicitumque actum indicant. Ergo actualis Dei dilectio super omnia a Christo simpliciter necessaria ad salutem asseritur.

Prob. 2. pars 1. ex dictis in §. antecedenti. 2. Ex hoc generali principio, dari nimirum praecepta de actibus, non vero de habitibus. Ergo praeceptum Caritatis in Scripturis expressum, de actu, non vero de habitu Caritatis intelligendum est. 3. Quod est necessarium necessitate medii, necessarium quoque est necessitate praecepti. Quisque enim ex lege generali, & Caritate sibi debita medium a Deo ad salutem necessario institutum tenetur suscipere. Hinc me-

merito ut haeretica proscripta fuit ab *Alexandro* VIII. haec propositio: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.*

Hinc collige, interioris actus Caritatis omissionem adeo gravem esse, ut si quis omnia alia praecepta servaverit, illudque omiserit, poenis aeternis addicendus esset.

§. III.

De Tempore, quo potissimum urget divinum mandatum super omnia diligendi Deum.

Nota. Hactenus ostendimus contra nonnullos juniores Theologos Divinum mandatum diligendi Deum super omnia praeceptum esse speciale, actumque explicitum per se jubere: nunc vero ad examen revocandum tempus est, quo potissimum amoris actus praecipitur.

Quidam recentiores Casuistae eo Laxitatis devenerunt, ut docuerint, Caritatis praeceptum per se, & directe nullo tempore obligare, eo quod sit indeterminatum: aliquando vero obligare indirecte, & per accidens, quando scilicet tenemur justificari, neque ulla adest via, qua justificari possimus. E. G. Cui Poenitentiae Sacramentum non est in promtu, neque alia

alia via est qua se justificet, nisi actum eliciat Contritionis, quae actum aliquem amoris Dei super omnia dilecti involvit.

Alii putarunt huic obligationi fieri satis, si homo raro, vel semel in vita aliquem dilectionis actum erga Deum eliciat.

Alii tandem pro vario eorum ingenio varia tempora ad Caritatis exercitium praescripserunt.

Innocentius XI. has tres sequentes propositiones, quae Caritatis necessitatem, & observantiam impetunt, damnavit.

1. *An peccet mortaliter qui actum dilectionis semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.*

2. *Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum Caritatis erga Deum.*

3. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

Quid vero sentiendum de frequentandae divinae Caritatis debito, sequenti propositione aperiemus.

Prop. unica.

Speciale Caritatis praeceptum per se in decursu vitae tam saepe obligat ad sui exercitium, ut Caritas actu, vel virtute reliquas animet actiones.

Prob. I. ex verbis, quibus Deus *Deut.* VI. dilectionis mandatum exprimit: *Diliges*

ges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo .... eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis de his sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, atque ostiis domus tuae. Ex quibus sic conficitur argumentum: Ex laudato *Deuter.* loco praeceptum dilectionis semper, & ubique prae oculis habendum. Ergo semper, & ubique urget ejus observantia, si non actu, saltem virtute. Quorsum enim haec adeo clara, & emphatica expressio, *meditaberis de his sedens .... ambulans ... dormiens .... consurgens*, nisi perennem amorem juberet? Nam etsi alia praecepta interruptionem patiantur, huic tamen non subjicitur Caritatis praeceptum, cujus perennem durationem nihil impedire valet: semper enim diligere valemus.

Prob. II. Ex ipso dilectionis mandato Deum diligere tenemur toto corde, tota mente, totis viribus. Nulla ergo vitae nostrae pars a dilectione Dei saltem virtuali vacare debet: sed omnia in Deum sunt referenda, a quo habemus haec, quae conferimus. Ita post *Augustinum S. Thomas* 1. 2. *q.* 100. *art.* 10. *ad* 2.

Praeterea Caritas est aliorum praecepto-

ptorum finis. *Finis praecepti est Caritas*, ait Apostolus I. *ad Tim.* I. Ergo frequenter repetenda, ut facilius alia praecepta exsecutioni mandentur. Interruptâ enim nimium finis intentione, exsecutio mediorum cesset oportet.

Q. I. *Num sint & alia temporum intervalla, in quibus praeceptum Caritatis tum per se, tum per accidens urgeat ad suos actus repetendos?*

R. Affir. Et 1. per se obligat in primo usus rationis instanti. Ita *S. Thomas* 1. 2. *q.* 89. *art.* 6. quem sequitur universa Schola *Thomistica*. Item in probabili vitae periculo. Non solum enim vitae initio, sed & in fine speciali ratione tenetur homo se convertere in Deum, suum ultimum finem: quae conversio recte fieri nequit, nisi per actum Caritatis.

Item quando graviter tentatur homo odio habendi Deum. Item cum justificari debet maxime extra Sacramentum. Amor enim Dei, & odium peccati certam efficit poenitentiam. Item cum Deus blasphemiis impetitur, exemplo *Davidis* dicentis: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Ne autem de obligatione Caritatis actus saepe repetendi scrupulus aliquem stimulet ac pungat, advertat is, bene moratos Christianos hoc dilectionis mandatum facillime implere, cum per varia pietatis exer-

exercitia quae obeunt, Caritas in eorum cordibus excitetur, etiam ipsis non advertentibus. Non enim consistit Caritatis actus in illo verborum sonitu, *diligo te Domine:* sed in quodam animi pondere, seu voluntatis motu in rem amatam, ut docet *Augustinus:* qui pluries in suis operibus Caritatem vocat *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deum*. Quod animi pondus, sive voluntatis motus suam vim in piis exserit hominibus, quamvis ipsi non advertant. *Quid sunt pietatis exercitia*, ait doctissimus quidam nuperus Theologus, *ex tali impulsu exercita, nisi variae quas amor induit formas?*

Verum nota, hanc nostram doctrinam longe distare a *Casuistarum* amore virtuali & implicito, in observatione reliquorum mandatorum imbibito. Hi enim docent, ut vidimus, Caritatis praecepto satis fieri per servilem praeceptorum observationem factam ex timore, vel alio honesto fine absque aliquo Caritatis impulsu. Nos contra asserimus mandato dilectionis fieri satis per exercitium reliquorum mandatorum susceptum ex impulsu Caritatis, seu potius per ipsam Caritatem, quae in variis pietatis operibus se exercet.

Q. II. *Utrum ex Caritatis praecepto adstringamur nostras omnes actiones in Deum referre?*

R. Affir.

R. Affir. Prob. I. Ex praecepto Caritatis Deus totum cor, totam animam noſtram ſibi ſacrificari vult. Ergo potiore jure omnes ejusdem actiones, & opera ſibi vindicat. Qui enim vult ſolum, eâdem voluntate ſibi fructus ſoli aſſerit. Hinc peroptime *D. Thomas* 1. 2. *q.* 100. *art.* 10. *ad* 11. ex praecepto Caritatis colligit hanc obligationem dirigendi omnia noſtra opera in Deum, inquiens: *Sub praecepto Caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: & ideo praeceptum Caritatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum.*

Prob. II. ex illo Apoſtoli I. *ad Cor.* X. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite:* Et iterum XIV. *Omnia veſtra in Caritate fiant.* His Apoſtoli verbis contineri verum praeceptum, Patrum, & Theologorum ſententia eſt. Inſtar omnium ſit *D. Thomas* qui in ep. *ad Coloſſ.* III. ait: *Quidam dicunt, quod hoc eſt conſilium, ſed hoc non eſt verum.*

Q. III. *Ut obligationi omnia noſtra opera in Deum dirigendi fiat ſatis, num homini ſufficiat habitualiter ſe ſuasque actiones in Deum referre?*

R. Neg. Sed rigoroſe requiritur, ut actu vel virtute ſe ſuasque actiones ad Deum ſuum ultimum finem dirigat. Ita gravio-

viores Theologi, praesertim *Augustini* discipuli, & solidiores *Thomistae*.

Prob. Ex praecepto Caritatis tenemur nostras omnes actiones in Deum referre. Sed ex praecepto Caritatis tenemur ad perennem & continuum amorem in sensu superius explicato. Ergo ad perennem & continuam relationem actionum nostrarum in Deum, si non actu, saltem virtute tenemur. Ita aperte colligitur ex *Angelico q. 2. de Carit. art. 2. ad 11. Dicendum, quod omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita, sicut non est possibile, quod semper de Deo cogitetur; hoc enim pertinet ad perfectionem patriae: sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem Caritatis, ad quam omnes tenentur*. Explicat vero virtualem hanc relationem exemplo medici, *qui dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis cogitans de sanitate: virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis seipsum ordinat in Deum, sicut in finem, in omnibus quae propter seipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui est Deus. Unde in omnibus mereri potest, si caritatem habeat. Hoc igitur modo praecepit Apostolus, quod omnia in Dei gloriam referantur*. Et apertius in respons. ad III. *Aliud est habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter enim refert*

in

in Deum etiam qui nihil agit, nec aliud actualiter intendit, ut dormiens. Sed virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub praecepto; sed virtualiter referre in Deum cadit sub praecepto Caritatis.

Dices 1. Actualem hanc vel virtualem nostrarum actionum in Deum relationem possibilem non esse ob humanae naturae corruptionem, quae semper actu de Deo cogitare non valet, 2. Cum hoc praeceptum omnia in Deum dirigendi sit affirmativum, non posse semper obligare: cum ex communissima doctrina praecepta affirmativa non obligent semper & ad semper. 3. *S. Thomam* pluribus in locis, & praesertim 1. 2. *q.* 8. *art.* 1. asserere, huic obligationi fieri satis per habitualem actionum nostrarum in Deum relationem.

Ad I, R, Actu semper referre omnia in Deum impossibile esse ob naturae fragilitatem, concedo; virtualiter vero, nego, Ita *D. Thomas* loco superius laud. Quomodo vero virtualis haec relatio intelligatur, etiam ex Eod, audivimus, adducto exemplo medici medicinam praeparantis, ut aegroto recuperet sanitatem, licet actu de sanitate non cogitet. Sed majoris intelligentiae gratia,

Virtualiter referre omnia deliberate in Deum is dicitur, qui ex formali Caritatis actu

actu veluti impulsus operatur. Quemadmodum enim rota, licet otietur manus, quae motum illi impressit, movetur, & currit; ita formalis Caritatis actus adeo movet, disponit, ac dirigit hominis voluntatem, ut eo elapso, voluntas etiam tendat in finem ultimum ex relicta primi actus impressione, qui virtute perdurat, & in subsequentes actiones influit. Non exigitur ergo ad virtualem relationem nostrorum operum in Deum, ut homo actu & semper de Deo cogitet, vel quovis temporis momento suam repetat intentionem omnia in Deum referendi: sed sufficit, ut intentio isthaec moraliter non abrumpatur.

Q. *Quamdiu ille primus actus, quo homo se suaque in Deum dirigit, perduret in impressione relicta in voluntate, ceterisque actionibus?*

R. Vim, & impressionem illius primi actus durare, donec moraliter non interrumpatur. Haec autem moralis interruptio facile accidere potest ob humanae naturae corruptionem, & passionum tumultum, nisi intentio omnia in Deum dirigendi aliorum directionis actuum formalium repetitione foveatur, & instauretur. Hinc post *S. Bonaventuram*, & Cardinalem *Bellarminum* monet veri nominis Theologus *Estius* in I. *ad Cor.* X. ut, ne deficiat haec debita virtualis intentio in actionibus nostris quotidianis, frequenter actu renovetur.

Ad II. R. I. Ultro fatemur, praecepta affirmativa regulariter loquendo non obligare ſemper, ſed determinato tempore. Aperte vero negamus, hanc perpetuam obligationem in eis non eſſe, quando vel eam imponunt, vel aliquod negativum praeceptum ſaltem implicite continent. Hujuſmodi eſt affirmativum praeceptum diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Ex quo mandato fluit obligatio, ait *Auguſtinus de Doctr. Chriſt. lib. 1. cap. 22. ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipſa quae confers. Cum autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitae noſtrae partem reliquit, quae vacare debet.*

II. Affirmativum dilectionis praeceptum implicite continet hoc aliud negativum, ne in aliquo actu creaturis amore inhaereamus, hoc eſt, ne creaturis fruamur. Quare in hoc mandato, *diliges Dominum Deum tuum* &c. continetur hoc aliud negativum: ne ſiſtas ultimate in aliqua creatura, eamque ſi diligas, amorem illius in Dei dilectionem referto; ac proinde negativum praeceptum non apponendi finem ultimum in creaturis, implicite urget dirigendi ſemper in Deum noſtras deliberatas actiones.

Ad III. R. apud *D. Thomam*, τὸ *habitualiter* aliquando ſumi pro *virtualiter:* ut

ut clare patet ex his, quae S. Doctor disputat de intentione requisita in ministro Sacramentorum, ubi accipit ***habitualiter*** pro *virtualiter*.

Nota, hanc nostram sententiam de necessitate nostras omnes deliberatas actiones in Deum actu vel virtute dirigendi, immane quantum discrepare a doctrina propositionum per *S. Pium* V. & *Innocentium* damnatarum. Asserebatur enim in hisce proscriptis thesibus, omnia nostra opera in Deum esse referenda ex motivo ejus Caritatis, quae vel ipsamet esset, vel secum haberet gratiam sanctificantem. Nos vero asserimus necessitatem Caritatis non habitualis, sed actualis ad omne opus moraliter ex omnibus circumstantiis bonum: nec omnia opera aut infidelium aut peccatorum esse peccata. Multa enim sunt infidelium ex objecto & fine proximo bona, E. G. misericordia in pauperes, reverentia in parentes &c. licet in hisce operibus in Deum ultimum finem directio desit: quod vitio potius agenti, quam operi vertendum est.

Praeterea affirmamus, non omnia peccatorum opera esse peccata, cum impius etiam in statu peccati manens, informes Fidei, Spei, & Caritatis actus elicere possit.

Justus denique in statu justitiae multa valet agere venialiter mala, si ex concupiscentiae motu operetur, si in operationibus secundum speciem indifferentibus finem de-

debitum sibi non proponat.

Q. IV. *Utrum vi praecepti Caritatis Deus diligendus sit super omnia non solum appretiative, sed etiam intensive?*

R. Triplex distinguitur amor: *appretiativus*, qui est amor praelationis, cum scilicet objectum amatum ceteris praeferimus: *intensivus*, qui objecti amati praelationi addit conatus, & fervoris gradus: *tener* & *sensibilis*, qui sensibilem quandam teneritudinem, fervorem sensus ipsos demulcentem, ac commoventem praesefert. His positis,

Assero I. *Amor Deo debitus sit appretiative summus; ita ut Deum rebus omnibus praeferamus, parati potius mala omnia perferre, bonaque amittere, quam Deum offendere.*

Prob. Ex Caritatis praecepto Deum diligere tenemur ex toto corde, ex tota anima. Sed si amor Deo debitus non esset appretiative summus, i. e. si Deus rebus omnibus non praeferretur, non diligeretur ex toto corde, ex tota anima. Ergo &c. Deus enim ex toto corde non diligitur, quando aliqua res aut magis, aut aeque, ac Deus diligitur; tunc enim divisus est cordis affectus. Hinc Christus *Lucae* XIV. ajebat: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse*

se discipulus. Insuper infinita divinae bonitatis excellentia exigit, ut Deum creaturis omnibus in amore praeferamus: nec sine gravi divinae bonitatis injuria ac contemtu amorem creaturae possumus amori ei debito praeferre, aut aequare. *Minus te amat*, ajebat *Augustinus lib.* 10. *Confess. cap.* 19. Deum alloquens, *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

Assero II. *Amor, quo divinum implemus mandatum, sit fervens, & intensus; ita ut Deum iis omnibus anteponamus, quae nobis carissima sunt, & summopere delectabilia.*

Prob. Certum est apud omnes, amorem quo divinum implemus mandatum, appretiative summum esse debere: Ergo & intensive. Prob. Conseq. Amor appretiativus in praelatione Dei super omnes creaturas consistit. Sed haec praelatio haberi nequit sine intensione & fervore ipsius amoris: nam magnus requiritur conatus, fortisque animi intensio, ut Deum rebus omnibus quae nobis carissima, & delectabilia sunt, praeferamus. Ergo nequit amor esse appretiativus, nisi sit simul fervens, & intensus. Praeterea recta ratio postulat, ut objectum quod omnibus anteponimus, majore cum fervore, & intensione diligamus. Hinc homines nobis propinquiores, ac meliores intensiore affectu diligimus. Ergo Deus, qui est optimus, & nobis propinquior,

quior, ferventiore affectu erit diligendus. Ita graviores Theologi, praesertim *Dominicus Bannez*, *Petrus Soto*, qui *lib. de instit. Sacerdotum de Sacr. Poenit. lect.* 15. haec habet: *Distinctio illa appretiationis ab intensione nova est, nihil aliud habens quam nomina; nisi quod interim illâ persuasione ingeneratur hominibus securitas quaedam, & tepiditas: quod valde timendum est.*

Dices: quinam gradus, & mensura fervoris & intensionis necessarius est, ut Caritatis praeceptum impleatur?

R. Ad substantiam praecepti servandam requiritur, ut fervor & intensio tanta sit, ut faciat Deum creaturis omnibus anteponere, omnia praecepta servare, & omnem Dei offensam vitare. Ad perfectionem vero Caritatis sufficit, ut homo totis viribus suam in Deum Caritatem augere conetur, ab eoque cum Ecclesia petat, *da nobis Fidei, Spei, & Caritatis augmentum: & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod praecipis.*

Assero III. *Amor tener & sensibilis sub praecepto Caritatis non cadit.*

Prob. Teneritudo ac fervor sensibilis, cujusmodi est ille, qui sensus ipsos commovet ac demulcet, est Caritati accidentalis. Ergo sub praecepto Caritatis non cadit. Prob. Antecedens. Potest quis sine hac teneritudine ac sensibili fervore firmius &

efficacius Deo inhaerere, quam alii creaturae. Quod patet in iis, qui tenerius, ac ferventius videntur amare amicos ac parentes, quam Deum ipsum: factâ tamen comparatione Deum inter, & amicum, sine ulla haesitatione Deum amico ac parenti anteponerent. Hoc autem proficiscitur ex eo, quod quae sunt propinquiora nostris sensibus, tenerius ac ferventius amare solemus: objectis vero spiritualibus magis appretiative atque efficacius inhaerere. Ergo sine sensibili amore valet quis firmius atque efficacius Deum amare, quam ullam creaturam: quod sufficit ad servandum praeceptum Caritatis. Praeterea major aut minor teneritudo saepe nascitur ex temperamento hominis amantis, ac proinde accidentalis esse debet praecepto, quod omnes omnino homines respicit.

Q. V. *Num ex praecepto Caritatis ad ipsius Caritatis augmentum conari teneamur?*

R. Affir. Prob. Ex II. *Petri* III. omnes omnino fideles ad gratiae profectum tenentur; ait enim: *Crescite in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi*. Atqui non proficitur in gratia, nisi Caritas augeatur. Ergo &c. Quid enim est gratia, nisi Caritas Dei, quae per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur?

Prob. Insuper ex *Augustino*. Caritatis aug-

augmentum diminutio est cupiditatis : ait enim S. Doctor *lib.* 3. *de Doct. Christ. cap.* 10. *Quanto magis destruitur regnum cupiditatis, tanto regnum Caritatis augetur.* Sed ad mortem usque tenemur fortiter cupiditatis diminutionem procurare. Ergo ad mortem usque fortiter procurandum est nobis Caritatis augmentum.

Nota I. Caritatis profectus per iteratum, & continuum ipsius Caritatis exercitium habetur : media vero quibus profectus iste comparatur, exercitia sunt virtutum, quibus justi bonis operibus abundantes in justitia & Caritate crescunt. Vide Tridentinum *sess.* VI. *cap.* 10. quod inscribitur *De acceptae justificationis incremento.*

Nota II. Caritatis praecepti finis unio totalis est hominis cum Deo, quae perfecta fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus. Hinc Caritatis praeceptum plene & perfecte implebitur in patria, in via vero impletur, sed imperfecte : quia nimirum in hac vita ad finem, quem Deus in hoc ferendo mandato sibi proposuit, non pervenitur. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 44. *art.* 6.

Nota III. Caritatis viae triplicem distinguit gradum post *Augustinum. Angelicus* 2. 2. *q.* 24. *art.* 9. *incipientis* scilicet, *proficientis*, & *perfectae*.

Caritas incipiens peccata omnia infe-

ctatur, concupiscentias coërcet, omnia divini amoris impedimenta removet, praecepta implet.

Caritas proficiens tota in pietatis studium, ac virtutum exercitia incumbit.

Perfecta demum Caritas uni Deo principaliter adhaeret, eoque fruitur: cumque ad eam venerit perfectionem, cum Apostolo dicit: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum: cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Verum ex hoc ne inferas, solam Caritatem perfectam nos Deo unire. Unit enim nos Deo non solum Caritas perfecta, verum etiam incipiens, & proficiens, & quidem aureo vinculo, sed inferioris notae. Ceterum quae ex *Angelico* descripsimus, munia sunt & officia principaliora cujusque Caritatis gradus. Unde vero Caritatem ardere in nobis, arguere debeamus, assignat *S. Gregorius hom.* 30. *in Evang.* dicens: *Ad vosmetipsos introrsus redite, si Deum vere ametis, exquirite: neque tamen sibi aliquis credat, quid sibi animus sine operis attestatione responderit: de Dilectione conditoris lingua, mens, & vita requiratur.*

Se-

Sectio II.
De Praecepto Proximum diligendi.

Prop.

Exstat speciale praeceptum Proximum diligendi non solum actu externo, verum etiam interno, & amore benevolentiae.

Prob. *Matth.* XV. haec habentur: *Secundum autem mandatum simile est huic; diliges proximum tuum sicut teipsum.* & *Joan.* X. Christus ait: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem.* Ex quibus sic conficitur argumentum: Eodem modo tenemur, proportione servata, diligere Deum, ac proximum: similitudo enim utriusque praecepti id perspicue probat. Atqui Deum tenemur diligere non solum actu externo, verum etiam interno: Ergo & proximum.

Insuper probatur: Dilectio est voluntatis affectio, qua personae amatae bonum volumus. Sed verba, quibus hoc divinum mandatum constat, dilectionem exprimunt, & imperant. Ergo ut huic praecepto fiat satis, actu tum externo, tum interno benevolentiae proximum diligere tenemur, amore nimirum quo ei bonum velimus, quatenus ei bonum est. Opinio negans dari peculiare mandatum actibus internis proximum diligendi, ab *Innocentio* XI. in sequentibus propositionibus proscripta fuit. 1. *Non tenemur diligere proximum actu interno & formali.*

2. *Praecepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

Datur itaque praeceptum divinum, quo proximum diligere adſtringimur amore ſupernaturali, & Caritatis. Hujus autem debitae dilectionis erga proximum tres praeſcribit conditiones *D. Thomas* 2. 2. *q.* 44. *art.* 7. ut ſcilicet ſit *ſancta*, *juſta*, *& vera*.

Prima conditio: Ut dilectio proximi ſit ſancta, requiritur, ut diligamus proximum propter Deum, h. e. quia ad Deum pertinet, ut imago ejus, ut capax dilectionis, & poſſeſſionis ejus, ut ab ipſo creatus, redemtus, &c. ita ut Deum in ipſo amemus. *Ille enim*, ait *Auguſtinus ſerm.* 37. *veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo.*

Hinc I. Amor ille naturalis, quo quis proximum diligit, prout eſt ei ſimilis in natura, cognatus, vicinus &c. licet ſit actus bonus & honeſtus, non eſt tamen actus Caritatis a divino mandato imperatus. *Si quis quemlibet amat*, ait *Gregorius Magnus hom.* 38. *in Evang. ſed propter Deum non amat, Caritatem non habet.*

Hinc II. Motivum formale Caritatis erga proximum eſt ipſa divina bonitas, quae ſicut movet ad amorem Dei propter ſeipſum, movet quoque ad amorem proximi propter Deum.

Hinc

Hinc III. Ejusdem speciei est actus Caritatis, quo diligimus Deum, ac proximum; nam idem Caritatis habitus, qui inclinat ad amorem Dei, movet ad dilectionem proximi propter Deum. De utroque hoc dilectionis praecepto, Dei scilicet, & proximi, ait *Augustinus in ep. ad Gal. num.* 45. *Unum sine altero teneri non potest*. Vide *D. Thomam* 2. 2. *q.* 25. *art.* 1.

Secunda conditio: Ut Dilectio proximi sit justa, necessum est, ut *aliquis non condescendat proximo in aliquo malo, sed solum in bonis. Sicut & suae voluntati satisfacere debet homo solum in bonis*, *D. Thomas* ibid. *q.* 44.

Tertia: Ut dilectio proximi sit vera, requiritur, *ut non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem, vel delectationem .... alioqui non vere diligit proximum, sed seipsum. D. Thomas* ibid.

En fraternae dilectionis characteres, & praerogativae, ut sancte, juste, & vere diligamus proximum: *Non sicut se diligunt qui corrumpunt, nec sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt: sed sicut se diligunt, quoniam Dii sunt, & filii Altissimi, ut sint filii ejus, unici fratres, ea dilectione invicem diligentes, qua ipse dilexit eos.* Ita *Augustinus Tract.* 65. *in Joan.*

Q. I. *Utrum actus, quo proximum diligere jubemur, debeat esse distinctus ab*

actu amoris, quo Deum diligimus?

R. Affir. Prob. Dilectionis duo sunt praecepta distincta, quorum alterum Dei, alterum proximi amorem jubet. Duobus ergo distinctis actibus duo haec praecepta implenda sunt. Falsa itaque est opinio quorundam Recentiorum, quos laudat, & sequitur *Palaus Tract.* VI. *disp.* 1. *part.* 1. *num.* 3. asserentium, non teneri nos proximum diligere actu *interno* & *formali*, sed tantum *virtuali*, in amore Dei formali contento: quae opinio ab hac damnata propositione non multum abludere videtur: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali*. Huic enim damnatae thesi propositio contradictoria erit, teneri nos proximum diligere actu interno, & formali, non vero virtuali contento in formali amore Dei.

Q. II. *Num per se hoc praeceptum ad proximi dilectionem obliget?*

R. Affir. & quidem saepius. Praecepta enim divina per se, & absolute obligant: Ergo & praeceptum diligendi proximum. Hinc rejicienda opinio *Thomae Milante*, aliorumque putantium hoc divinum mandatum non obligare, nisi in casu necessitatis, exercendi scilicet misericordiam, aut vitandi odium, vel periculum vindictae. Ceterum putant satis esse, ut homo sit dispositus ad proximi dilectionem.

Haec

Hanc opinionem dixi *falſam* eſſe. Si enim ſermo ſit de proximo in *communi*, tunc praeciſâ quacunque neceſſitatis circumſtantia, tenemur eum diligere actu formali, & per ſe. Ratio eſt, quia ſicut ex primo dilectionis mandato Deum per ſe, & extra neceſſitatis caſum diligere tenemur; ita ex ſecundo mandato, quod eſt ſimile huic, proximum diligere adſtringimur per ſe, & praeciſa quacunque neceſſitate. Si vero ſermo ſit de proximo in *particulari*, tunc neceſſitate inſtante urget obligatio illi exterius ſuccurrendi, eumque interius amandi. Utrum vero amor, quo proximus diligendus eſt in neceſſitate, per ſe, aut per accidens vocari debeat, de voce, non vero de re quaeſtio eſt.

Q. III. *Num praeceptum, quo per ſe proximum in communi amore interno, & formali proſequi jubemur, obliget frequenter?*

R. Affir. Prob. Scripturae Sanctae continuam nobis Caritatem, qua mutuo diligamur, praecipiunt. *Vigilate . . . mutuam in vobismet ipſis continuam Caritatem habentes*. I. *Petri* IV. Ergo tam frequenter Caritas proximi repetenda eſt, ut continua, & moraliter non interrupta dici poſſit. Hinc rejicienda Recentiorum opinamenta contendentium ſufficere, ut interior Caritatis actus erga proximum elicia-

ciatur duntaxat in casibus necessitatis, vel infra quinquennium hoc mandatum per se non urgeat.

Insuper hoc praeceptum obligat per accidens, 1. quando actus amoris ad gravem odii tentationem propulsandam necessarius reputatur. 2. Quando adstringimur proximum gravi necessitate spirituali, vel corporali pressum sublevare. 3. Quando gravis injuria in bonis vel famae, vel animae, vel corporis proximo infertur, ob quam gravissime turbatur, & affligitur. 4. Quando proximus in extrema necessitate positus, nostro eget consilio, aut auxilio spirituali vel temporali.

§. I.
De Inimicorum Dilectione.

Inimicorum nomine intelligimus eos, qui nos, aut nostros oderunt, aut aliqua affecerunt injuria.

Prop.

Ex praecepto Caritatis erga proximum tenemur inimicos non solum non odisse, odio scilicet proprie dicto seu inimicitiae, sed etiam positive diligere.

Prob. *Matth.* V. Christus Dominus conceptis verbis inimicorum non tantum prohibet odium, sed positive dilectionem jubet: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Ergo non tantum non odisse,

ſe, ſed poſitive diligere tenemur. Inimici enim ſunt veri proximi, ejuſdem gratiae, & gloriae capaces. Ergo poſitive diligendi, non quia inimici, ſed quia proximi.

Praeceptum hoc non tantum eſt poſitivum, ſed naturale. Quod patet 1. ex illo generali principio: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Ergo ſi tu non vis odio haberi ab inimico, nec tu debes odio illum habere. 2. Sublatâ hac adeo neceſſariâ inimicorum dilectione, humana ſocietas conſiſtere nequit. Nam poſito quod homines impune, ac licite poſſent ſe odio habere, ac privatas expetere vindictas, in nihilum genus humanum abiret, cùm undique concives, parentes, ficti amici ſanguinem effunderent, ac vitam eriperent. 3. Ethnicorum ſapientes virtutis loco ſemper habuerunt injuriarum veniam, ut videri poteſt apud *Ciceronem in Orat. pro Ligario*. *Socrates* ex inſtituto profligavit vulgarem ſententiam: *amicis bene faciendum, male inimicis*.

Dices: Judaeis olim fuit non modo licitum, ſed & imperatum inimicorum odium: *Audiſtis*, ait Chriſtus *Matth*. V. *quia dictum eſt antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Ergo ſi aliquando non modo permiſſum, ſed & imperatum inimicorum odium, de lege naturae non eſt.

R. *In veteri lege etiam homines tenebantur*

tur ad dilectionem inimicorum, sicut patet per auctoritatem. Unde quod dicitur, odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumtum, quia nusquam hoc in littera invenitur: sed additum est ex prava interpretatione Judaeorum, qui ex eo, quod praecipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici erant odiendi. Ita *S. Thomas in* III. *dist.* 51. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 2.

Q. I. *Utrum ex praecepto Caritatis inimicum in particulari diligere adstringamur: an vero sufficiat ab amore universali, quo proximum diligimus, illum non excludere?*

R. Ad servandam substantiam praecepti sufficit diligere inimicum amore universali, quo diligimus proximum propter Deum, dummodo parati simus illum in particulari diligere, i. e. hunc numero determinatum hominem diligere peculiari amoris actu, si necessitas occurrerit. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 25. *art.* 8.

Prob. Ex praecepto Caritatis non tenemur aliquem determinatum hominem peculiari amoris actu diligere, nisi adsit aliqua peculiaris ratio. Ergo eo minus inimicum peculiaris dilectionis actu diligere adstringimur, nisi in dispositione, & urgente necessitate; quando scilicet peculiaris amoris actus necessarius reputatur ad propulsandam gravem odii tentationem, vel periculum tum vindictae, tum rixa-

rixarum: imo tenemur etiam ad beneficentiam, si ad vitandum scandalum, vel quodcunque odii signum reputetur necessaria. Extra hos casus inimicum in particulari diligere, illique benefacere ex *D. Thoma* non est de necessitate, sed solum pertinet ad Caritatis perfectionem.

Hinc contra Caritatis praeceptum peccat qui malum vult inimico, ut malum est: Item qui de ejus malo gaudet, aut de ejus bono tristatur. Licitum tamen est speculative loquendo velle ex amore justitiae, ut inimicus puniatur, vel in aliorum exemplum, vel ut ipse corrigatur. Item licitum est contra inimicum instituere actionem tum civilem, tum criminalem; modo id non fiat ex motivo odii, vindictae, aut alio pravo fine: civilem quidem, ut damna illata compensentur; criminalem vero, ex motivo justitiae, ne delicta cum Reip. damno remaneant impunita.

Dixi, *speculative loquendo*, quia practice non est id facile admittendum. Nam sub justitiae fuco saepe latitat vindictae appetitus. Legesis *D. Thomam* 2. 2. *q.* 108. *art.* 1.

Q. II. *Quaenam benevolentiae signa sint inimicis exhibenda?*

Nota. Benevolentiae signa duplicis sunt generis: Alia sunt generalia & communia, quae omnibus exhibentur: puta quae

Chri-

Christiano debentur a quovis Christiano, concivi a concive, cognato a cognato. Alia sunt specialia, quae peculiarem amorem indicant: puta secretorum communicatio, familiaria colloquia, crebrae visitationes, mutua convivia, atque id genus similia.

R. Ex praecepto Caritatis adstringimur inimicis generalia benevolentiae signa exhibere, secus specialia; nisi aliunde ratio obligationis accedat. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 25. *art.* 9.

Prob. 1. pars. Excludere inimicum a communibus benevolentiae signis esset injuriam vindicare, quod privato non licet, juxta illud *Levit.* XIX. *Non quaeres ultionem, & non eris memor injuriae civium tuorum*. Ergo &c.

Hinc non licet inimicos excludere a communibus orationibus, eleemosynis, responsione ad interrogata, mercium expositarum venditione: cum haec sint communia benevolentiae signa, ideoque horum omissio per se loquendo est grave peccatum; quia est vindicta privato illicita, & signum odii, ac proinde Caritati adversa & quidem graviter.

Dixi, *per se loquendo*. Nam si adsit caussa rationabilis, tunc erit nullum, vel leve peccatum. E. G. Si quis renuat inimicum salutare, alloqui &c. vel ob delicti punitionem, ut superior, pater, judex,

qui

qui auctoritate vindicandi injuriam pollent: vel ob aliquod enorme delictum in signum detestationis, & abominationis, tunc nullum erit peccatum haec officiorum exclusio, quia reputatur justa delicti detestatio.

Item horum signorum suspensionem possunt a gravi peccato excusare inadvertentia, parvitas materiae, vel morae. E. G. Si parvo temporis intervallo haec officia suspendas, non quod in instanti licitum sit odium; sed quod turbatus animus aptus non sit ad ea officia exhibenda: Item justi doloris significatio ob perceptam injuriam. Demum non statim gravis peccati damnanda est haec signorum omissio, sed circumstantiae expendendae sunt, praesertim animus interior, & scandalum, quod oritur ex ea negatione. Nam aliquando non odii caussâ haec officia omittuntur, sed verecundia quadam, timore, & animi vilitate.

Prob. 2. pars. Ad haec specialia benevolentiae officia non tenemur semper, & pro omni tempore, sed necessitate urgente, juxta illud *Proverb.* XXV. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum .... & Dominus reddet tibi*. Ergo nisi aliunde ratio obligationis accedat, ad specialia amoris officia erga inimicos non tenemur.

Hinc per se loquendo non teneris inimicum salutare, aut alloqui, aut aliter in familiaritatem admittere; quia haec sunt specialia amoris signa.

Di-

Dixi, *per se loquendo*. Nam si aliunde ratio obligationis accedat, specialia dilectionis officia inimicis praestare tenemur: puta ratio vitandi scandalum, vel lucrandi Deo & sibi inimicum, saltem sine gravi incommodo, vel demum illum gravi necessitate spirituali vel temporali pressum sublevandi. In his enim circumstantiis peculiaria officia negare, esset exterior odii declaratio, & caussa scandali, ac proinde grave peccatum contra Caritatem.

Inimico veniam petenti tenemur non solum offensam ex animo condonare, seu odium deponere (quod semper est necessarium) sed etiam reconciliationis signa exterius exhibere. Excipe, nisi sit superior, pater, qui quandoque possunt erga subditos, filios, benevolentiae signa differre non ex odio, sed justae correctionis caussa. Demum qui alterum injuste laesit, justitiae titulo tenetur prior aperire viam ad reconciliationem. Verum si altercatio injuriosa praecesserit inter patrem & filium, inter superiorem & subditum, non exigitur, ut superiores a subditis veniam postulent, juxta *Augustini reg. Ne, dum nimium servetur humilitas, regendi frangatur auctoritas:* sed contra filii, subditi semper praevenire debent in venia petenda.

CAP. III.

CAP. III.

De Ordine Caritatis.

ORdo ab *Augustino lib. 19. de Civ. Dei cap.* 13. definitur: *Est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*. Ordinem ergo in Caritate servabit amator, si cuique diligibili suum tribuat locum, i. e. si objecta diligenda pro eorum dignitate & gradu suum in corde habeant locum. Uno verbo dicam: ordo in Caritate servabitur, si unumquodque diligibile ametur secundum mensuram bonitatis suae. Quod autem hic ordo in Caritate sit servandus, patet ex eo, quod objecta diligenda non sunt aequalis bonitatis, & amabilitatis. Ergo ordo servandus est in eorum dilectione: aliter non servaretur proportio dilectionis ad diligibile. Hunc vero necessarium Caritatis ordinem in praesenti exponemus relate ad triplex Caritatis objectum, nempe Deum, nos ipsos, & proximum. Hinc

Assero I. *Deus est magis diligendus, quam proximus*.

Prob. Amicitia Caritatis fundatur in communicatione beatitudinis. Sed Deus est beatitudinis caussa. Ergo magis est diligen-

dus Deus, a quo beatitudo derivatur in omnes, quam proximus, qui beatitudinem ab eo simul nobiscum participat. Ita *Angelicus 2. 2. q. 26. art. 2.*

Assero II. *Homo ex Caritate magis diligere Deum debet, quam seipsum.*

Prob. Unaquaeque pars magis amat bonum totius, quam particulare bonum proprium. Sed Deus est bonum commune, quia beatitudo est in Deo, sicut in communi, & primo omnium principio, qui beatitudinem participare possunt. Ergo ex Caritate homo magis diligere debet Deum, qui est bonum commune, quam seipsum. *Angelicus* ibid. *art.* 3. Brevius: Deus est rerum omnium principium, & finis summe bonus & perfectus. Ergo super omnia diligendus.

Assero III. *Quisque absolute & simpliciter tenetur seipsum diligere magis, quam proximum.*

Prob. In Scriptura dilectio sui proponitur ut regula & exemplar amoris proximi: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum, Matth.* XXII. 39. Sed *exemplar*, subdit *Angelicus* ibid. *art.* 4. *potius est, quam exemplatum*. Ergo homo ex Caritate tenetur seipsum diligere magis, quam proximum.

Nota. Ordo in Caritate servandus duplex est, alter in personis, alter in bonis. In personis homo tenetur primo diligere Deum, 2. seipsum, 3. proximum, ut jam de-

demonstratum est. In bonis 1. spiritualia seu supernaturalia, nempe gloria, beatitudo, gratia, merita primum locum occupant. 2. Bona naturalia, quae corpus spectant, ut vita, integritas membrorum, sanitas. 3. Bona exteriora, ut honor, fama, divitiae. Tandem commune bonum antecellere bonum privatum debet. His praenotatis,

Resolves I. debere quemque se magis diligere in bonis spiritualibus; quam proximum. Nam nobis potius, quam aliis divinae gratiae, & amicitiae bonum desiderare, & velle debemus; alioqui magis alios, quam nosmetipsos diligeremus.

Hinc 1. non licet nobis ne leve quidem peccatum committere, ut proximum a peccato liberemus, juxta illud Christi; *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* 2. Non licet quidem proximo peccandi periculo se exponere, ut saluti proximorum consulatur; quia voluntarie se objicere proximo peccandi periculo peccatum est, juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo*. 3. Licitum non est velle proprium spirituale detrimentum; quod licet culpam non includat, minuit tamen Caritatem, & impedit meriti augmentum; quia tale detrimentum non est per se amabile, nec ad aliorum salutem ordinari potest, ut notat *Suaresius*. Licet tamen aliquando omit-

Nonnulla autem hîc sunt praemittenda, ut ex posito principio casus particulares recte resolvantur.

Proximi neçessitas triplex est, *extrema*, *gravis*, & *communis*.

Extrema spiritualis necessitas ea est, in qua homini, nisi hîc & nunc adjuvetur, salus aeterna vel est absolute impossibilis, vel tantae difficultatis, ut moraliter loquendo censeatur obtentu difficilis. Sint exempla: moritur infans inter peste infectos derelictus sine baptismate, nisi tu cum tuae vitae periculo sacris illum abluas undis. Adultus mortalis peccati reus, & eliciendae contritionis ignarus, damnatur, nisi te mortis periculo objicias, ut illum instruas.

Gravis necessitas est ea, a qua liberare se quidem valet homo, sed nonnisi cum magna difficultate. Sit exemplum: peccator habituatus, qui copia Confessarii laborat, etsi per contritionem in Dei gratiam redire possit, rationabiliter tamen judicatur in peccato moriturus, nisi ei aliquis poenitentiae viam aperiat.

Communis necessitas ea est, in qua sine gravi difficultate absque alterius ope immunis evadere quis potest. Sit exemplum: qui in communibus peccandi periculis reperiuntur, in communi necessitate considerantur. His positis,

Resolves I. teneri quemque in extrema

ma spirituali necessitate proximi ei succurrere cum vitae, bonorumque temporalium jactura. Nam sicut Christus *animam suam posuit pro nobis : & nos debemus pro fratribus animas ponere*, I. *Joan.* III. 16. Succinit *Augustinus lib. de Mendacio : Temporalem vitam pro aeterna vita proximi non dubitabit christianus amittere*. Hinc teneris cum vitae periculo infantem moriturum baptizare. Item si scias adultum exsistentem in peccato mortali in somno occidendum, teneris ei cum periculo vitae subvenire. Item si prudenter judices peccatorem moriturum sine sufficienti contritione ex defectu instructionis, etiam juxta multos cum vitae dispendio ei succurrendum est : qui licet instructus absolute loquendo possit elicere actum perfectae contritionis, difficillime tamen salvabitur absque Confessione. Quia ubi salus proximi tantopere periclitatur, necessitas censeri debet extrema. Haec sunt intelligenda in circumstantiis, in quibus adest qui possit, & velit ea in necessitate proximo succurrere, & prudenter judicantur opera nostra illi profutura. Quia ad opus prorsus inutile nemo tenetur cum gravi proprio damno.

II. Resolves, si spiritualis proximi necessitas gravis tantum sit, non adstringi nos cum vitae periculo eidem succurrere; nisi ad id teneamur ratione officii, & necessitas sit publica.

Prob.

Prob. 1. pars. Quia Caritas non exigit, ut cum vitae periculo succurram ei, qui a necessitate qua premitur, liberare se valet, & cujus specialem curam ex officio non suscepi. Hinc non teneor cum eo periculo peccatores retrahere, nec ad Indos convertendos navigare, cum sint alii, qui eorum conversioni insudare possint, & alias fructus sit valde incertus.

Prob. 2. pars. Qui curam aliorum susceperunt, proximo subvenire artius tenentur, quam ceteri omnes. Sed omnes titulo Caritatis cum vitae dispendio tenentur succurrere extremae proximorum necessitati. Ergo qui ex officio praesunt, tenentur cum eo periculo etiam gravi suorum necessitati subvenire, & quidem titulo justitiae. Hinc Parochus tempore pestis non potest suum officium dimittere, sed suo populo cum vitae periculo tenetur ministrare Sacramenta necessitatis medii, nempe Baptismum, & Poenitentiam. Utrum id possit per alios idoneos Sacerdotes, inspiciendae sunt circumstantiae, sed de hoc alias.

Prob. 3. pars. 1. Quia gravis necessitas communitatis semper conjuncta est cum extrema aliquorum privatorum, qui nisi adjuventur, probabiliter peribunt. 2. Quia damnum grave commune praeferendum est vitae privatae. Ergo &c. Hinc tempore pestis adstringuntur Sacerdotes cum periculo vi-

vitae, deficientibus aliis, moribundos absolvere. In tanta enim morientium multitudine non deficiunt qui extrema necessitate laborant, vel quia sunt adeo rudes, ut nesciant actum contritionis elicere, vel quia sunt peccatores habituati, quorum salus aeterna summopere periclitatur, nisi adjuventur.

Demum ex caritate succurrere proximo tenemur gravi animae necessitate laboranti, non solum cum id levi corporali damno praestare possumus, sed etiam cum aliquo nostro gravi damno corporali: quippe grave detrimentum spirituale prae levi, vel etiam gravi damno corporali superioris ordinis est, ideoque praeferendum.

III. Resolves, proximo in communi spirituali necessitate constituto neminem teneri succurrere cum periculo vitae, imo nec cum gravi bonorum temporalium detrimento; teneri tamen, si possit sine suo damno, vel cum exiguo. Ita *Sylvius*.

Prob. 1. pars. Communis necessitas absolute loquendo non est propria necessitas, cum quis in ea positus sine gravi difficultate absque alterius ope immunis evadere possit.

Prob. 2. pars. *Mandavit Deus unicuique de proximo suo*, *Eccli* XVII. Ergo opitulari proximo tenemur, saltem cum id facile possumus, sine ullo scilicet nostro, aut gravi damno.

IV. Resolves, in quacunque necessitate

re corporali aequali hominem communiter loquendo, sibi primum, deinde proximo consulere debere. Prob. Propinquior est homo sibi ipse prae omnibus aliis. Ergo in aequali necessitate communiter loquendo sibi ipse magis, quam alteri succurrere debet. Alioquin diligeret proximum plusquam seipsum contra regulam Caritatis. Unde *Augustinus lib. de mendacio cap. 6.* ajebat: *Si quis pro alterius temporali vita ipsam suam temporalem perdat, non est jam diligere illum sicut seipsum, sed plus diligere, quam seipsum, quod sane doctrinae regulam excedit.*

Dixi, *communiter loquendo*. Nam 1. pro Reip. & Principis conservatione non modo licet; sed praeceptum urget, periculo mortis propriam objicere vitam, & bona exponere. Hinc milites in loco destinato cum vitae periculo consistere tenentur. 2. Ex motivo Christianae virtutis licet pro alterius vita propriam exponere. Ita communiter cum *D. Thoma* in III. *dist.* 29. *art.* 5. *ad* 3. Nam tunc ratio movens non est alterius vitae praeservatio, quae vitae nostrae praeferri non debet, sed amor virtutis, & honestatis. Unde in hisce circumstantiis homo non plus diligit amicum, quam seipsum; sed plus diligit in se bonum virtutis, quam bonum corporale, ut ratiocinatur S. Doctor loco laud. Hinc peste infectis succurrere licet non

modo spiritualia, verum etiam temporalia ministrando cum vitae periculo. Huc pertinere videtur illud Christi *Joan.* XV, 13. *Majorem Caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Item ad exhibendum christianae gratitudinis argumentum licet exponere vitam propriam, ut servetur vita patris, domini, intimi amici, insignis benefactoris.

Q. *Quis Caritatis ordo servandus sit inter proximos?*

R. I. Certum est oportere magis unum proximorum, quam alium diligere. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 26, *art.* 6. *Cum principium dilectionis sit Deus, aut ipse diligens, necesse est, quod secundum propinquitatem majorem ad alterum istorum principiorum major sit dilectionis affectus*. Ille ergo proximus, qui alteri horum principiorum, nempe Deo, aut tibi propinquior est, ceteris paribus, praeferendus est.

Hinc 1. meliores, & sanctiores magis diligendi sunt actu complacentiae: quia sunt propinquiores praecipuo Caritatis objecto, quod est Deus, ac proinde secundum se sunt amabiliores. Sic E. G. magis diligendus est vir sanctus, quam parens improbus. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 26. *art.* 7. in C.

2. Qui sunt nobis propinquiores magis diligendi sunt, quam meliores extranei ea dilectione, qua alteri optamus bonum

num nondum possessum cum beneficentia. *D. Thomas* ibid. Ratio est, quia cum Caritas perficiat naturam, haec ad amandum magis eos, qui sunt nobis propinquiores, inclinat. Hi ergo magis a nobis diligendi sunt, & juvandi, quam extranei. *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*, ait Apostolus I. *ad Tim.* V.

R. II. Si necessitas proximorum est inaequalis, indigentiores praeferendi sunt etiam propinquioribus longe minus indigentibus. Prob. Quia Caritas non urget, ut subveniatur aliis, nisi sint in aliqua necessitate. Ergo ubi major est necessitas, ibi major obligatio subveniendi. *In aliquo casu est magis subveniendum extraneo, puta si sit in extrema necessitate, quam etiam patri non tantam necessitatem patienti. D. Thomas* ibid. *q.* 11. *art.* 3. Item extraneus gravi necessitate spirituali laborans, praeferendus est consanguineo, corporalem necessitatem patienti.

R. III. Si necessitas est aequalis, ceteris paribus, nobis propinquiores praeferendi sunt aliis: *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui constrictius tibi junguntur. Augustinus lib.* 1. *de Doct. Christ. cap.* 28.

Hinc in pari necessitate praeferendi sunt quod ad bona temporalia & spiritua-

lia aliis licet melioribus 1. consanguinei, & inter ipsos consanguineos qui sunt magis conjuncti. 2. Affinibus praeferendi sunt consanguinei, amici inimicis, benefactores non benefactoribus, concives extraneis. 3. Demum Religio, & patria etiam patris saluti anteponenda sunt.

Hinc in extrema necessitate pater, & mater praeferendi sunt ceteris omnibus, etiam filiis, & uxori: Haec quippe conjunctio prima est, naturalis, immobilis, & in ipsa natura fundata. Major est ergo omnibus supervenientibus conjunctionibus. Ergo ceteris praeferendi sunt. Pater praeferendus est matri, cum sit nobilius principium. In necessitate vero gravi potius providendum est uxori, & filiis, quam parentibus, cum bonum familiarum id postulet. Hinc *D. Thomas* 2. 2. *q.* 26. *art.*9. *ad* 1. ait: *Filiis magis debetur cura provisionis*. Uxor praeferenda est filiis, cum sit una caro cum marito, & principium liberorum. Filii praeferendi sunt ceteris omnibus, quia sunt conjunctiores, cum a substantia patris procedant. Conjuncti in secundo gradu praeferendi sunt minus conjunctis.

Hinc in naufragio, vel alio mortis periculo praeferendus est 1. pater, 2. mater, 3. uxor, 4. filii, 5. fratres: si nequeat omnibus subveniri. Porro obligatio servandi hunc praelationis ordinem ex genere

nere suo est gravis, quia nascitur ex praecepto Caritatis, quod obligat sub gravi, ejusque materia ac finis gravis est.

AUCTARIUM.

Ut tum proprius Fidei, Spei, & Caritatis character, tum ipsarum discrimen, quo secum differunt, uno veluti obtutu inspiciatur: quae hîc atque illic interspersa superius disseruimus, ita presse concludi licet.

Triplici ex capite petitur Fidei discrimen a Spe & Caritate. Et 1. quidem ex parte actus. Fides enim includit complacentiam & subjectionem in Deum: Spes desiderium erga Deum: Caritas requietem, fruitionem, unionem cum Deo. 2. Ex parte objecti formalis. Fides enim in Deum fertur ut primam Veritatem: Spes ut in beatitudinem futuram: Caritas in beatitudinem praesentem saltem inchoate. 3. Ex parte termini. Fides enim super omnia credibilia: Spes super omnia desiderabilia: Caritas super omnia amabilia transcendit in Deum. Virtutes theologicae non alium habent, nisi Deum ut ultimum finem, & proinde includunt affectionem aliquam in ultimum finem, sed sub diverso actu, diversa ratione, diverso termino.

CAP. IV.

De Actibus Caritatis.

CAritatis actus principalis est dilectio, ex eâque tanquam effectus, alii actus sequuntur, quidam interni, scilicet gaudium, pax animi, & misericordia: quidam vero externi, beneficentia nempe, eleemosyna, & correctio fraterna. De his duobus postremis, qui magis praxim respiciunt, sequentibus sectionibus fusius agemus.

Sectio I.
De Eleemosyna.

Eleemosyna misericordiae partus est, quae absolute spectata, sic definiri potest: *Voluntas alienae miseriae sublevandae.* Sub hac ratione accepta Deo, & hominibus misericordia convenit. Misericordia, quae hominum propria est, sic communiter definitur: *Virtus, quae nos ex compassione ad alienam miseriam sublevandam inclinat.* Hinc *D. Thomas* colligit 1. proprium misericordiae objectum esse malum alterius: nam nemo erga seipsum proprie misericors est, sed erga alterum. 2. Malum quod est mi-

fericordiae objectum, aliquo modo involuntarium fit necesse est: nam malum omnino voluntarium, ac liberum dignum misericordia non reputatur. Ultimo dicitur *ex compassione*; nam ait *Augustinus de moribus Eccl. cap. 26. Quis nesciat ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis super alieno malo?* Misericordiae exercitium requirit, quod alienum malum ut proprium concipiatur: quod fit, ait *Angelicus* 2. 2. *q.* 30. *art.* 2. *in C.* vel per unionem amoris. *Quia enim amans reputat amicum tanquam seipsum, malum ipsius reputat tanquam suum malum: & ideo dolet de malo amici, sicut de suo.... Hinc Apostolus dicit ad Rom.* XII. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. *Vel per unionem realem, utpote cum malum aliquorum propinquum est, ut ab eis ad nos transeat. Et ideo Philosophus dicit in* II. *Rhetor. quod homines miserentur super illos, qui sunt eis conjuncti, & similes; quia per hoc fit eis aestimatio, quod ipsi etiam possint similia pati.* Quare infirmi, imbecilles, egentes propensiores in misericordiam esse solent propter naturae imbecillitatem, & defectus, quibus obnoxii sunt. Contra felices, divites, eo quod a miseriis immunes sunt, nimium a misericordia alieni exsistunt. *Angelicus* ibid.

Porro Misericordia duplex est, altera *corporalis*, *spiritualis* altera. Illa corporis,

haec animae defectibus succurrit. Utriusque autem actus seu formae septem numerantur. Ad primum genus pertinent alere esurientes, sitientes potare, nudos operire, peregrinos domicilio excipere; invisere infirmos, captivos redimere, & mortuos sepelire: quae hic versiculus complectitur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Ad alterum genus attinent pro peccatoribus orare, remittere injurias, delinquentes corripere, docere ignorantes, imprudentes consulere, consolari afflictos, & alienam infirmitatem tolerare: quae hoc altero versiculo exhibentur:

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Jam vero Eleemosyna pressius accepta, est *auxilium, quod datur indigenti ex compassione propter Deum*. Hinc *D. Thomas* ibid. *q.* 32. *art.* 1. docet eleemosynam actum esse a misericordia elicitum, a Caritate vero imperatum.

§. I.

De Praecepto Eleemosynae.

Prop.

Jure naturali, & divino praecipitur Eleemosyna.

Prob. quod ad jus divinum. Christus aeter-

aeternae poenae illos damnat, qui Eleemosynas pauperibus dare negligunt: *Ite in ignem aeternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, *Matth.* XXV. Sed nemo damnatur propter omissionem operis, quod lege praecipiente imperatum non sit. Praeceptum ergo Eleemosynae fateamur necesse est. Innumera autem sunt Patrum testimonia, quibus hoc divinum praeceptum adstruitur: sed sufficit in medium adducere illud *Ambrosii*: *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti*.

Prob. quod ad praeceptum naturale. Si non exstaret naturale Eleemosynae praeceptum, improvidus pauperum pater esset Deus. Atqui hoc de Deo dici nequit; quia nihil eorum quae edidit in lucem, negligit, aut obliviscitur. Ergo exstat praeceptum Eleemosynae, quo necessariis ad vitam destitutis providetur. Insuper naturale lumen dictat, amandum esse proximum. Ergo & in necessitate ei succurrendum: nam dilectionis praeceptum jubet non solum velle bonum proximo amore affectivo, verum etiam efficiente & operante.

§. II.

De Tempore, quo urget Eleemosynae praeceptum.

Nota I. Praeceptum Eleemosynae ero-

gandae utpote affirmativum, non semper urget, sed tantum tempore egestatis. Hinc Theologi triplicem necessitatis gradum distinguunt, *extremae* scilicet, *gravis*, & *communis*. Extrema est, cum pauper in proximo seu probabili vitae periculo versatur. Ad hanc necessitatem attinet periculum perpetui carceris, mutilationis, & incurabilis morbi. Necessitas gravis, quando grave damnum homini imminet in vita, honore, fama, statu, aut re domestica. Communis est, qua premuntur pauperes ostiatim victitando: hi enim etsi necessaria ad vitam petere videantur, cum tamen ab omnibus petant, & a multis accipiant, censentur non in gravi, sed in communi esse necessitate.

Nota II. Tria pariter distinguuntur bonorum genera, quae huic triplici necessitati opponuntur. Nam alia sunt necessaria vitae, nempe illa, sine quibus vita nostra, & illorum, quorum cura nobis incumbit, sustentari nequit. Alia sunt necessaria statui, quatenus sine ejusmodi bonis homo nequit vivere convenienter suo statui: & haec iterum sunt duplicis generis; quaedam enim sunt necessaria ad statum simpliciter, quaedam ad status decentiam. Alia demum non sunt necessaria, sed superflua vel vitae, vel statui, vel utrique. His praenotatis,

Prop. I.

Prop. I.

Nemo tenetur etiam extreme indigenti succurrere ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi forte indigens persona sit bono communi necessaria.

Prob. Vitae propriae aliena praeferri non debet. Sed in pari necessitate ordo Caritatis postulat, ut quisque semetipsum diligat magis, quam proximum. Ergo &c. *Nisi persona sit bono communi necessaria.* Nam bonum publicum privato anteponendum est. Vide dicta superius de ordine Caritatis.

Prop. II.

Proximo in extrema necessitate constituto tenemur succurrere non solum ex superfluis statui, verum etiam ex necessariis ad status decentiam.

Prob. Caritas postulat, ut magis proximi vitam amemus, quam status nostri decentiam. Quare cum vita proximi sit majus bonum, praeferenda est huic decentiae status decremento, seu nostrae vitae commoditatibus. Immo multorum sententia est, extreme indigenti opem ferendam esse ex bonis quodammodo ad integritatem status necessariis; quia juxta ordinem Caritatis vita praeferenda est cuidam status integritati. Verum communiter certum apud omnes videtur, divites non teneri cum gravissimo status detrimento extreme indigentibus subvenire. Nam prae-

ce-

ceptum Eleemosynae non obligat cum proprii status amissione. Hinc absolute loquendo nemo tenetur ex nobili plebejum, ex divite mendicum fieri, ut extreme indigenti succurrat. Item dives non tenetur quantivis pretii medicamina sibi comparare, medicos longe dissitos advocare, opulentasque divitias insumere, ut extremo morbo laborantibus succurrat. Si enim pro vita propria servanda quisque extraordinaria remedia adhibere non tenetur, multo minus pro vita aliena.

Prop. III.

Pauperibus in gravi necessitate constitutis subveniendum est non modo de bonis statui superfluis, verum etiam ex necessariis ad aliqualem status decentiam.

Prob. 1. pars. Ex Christi sententia *Matth.* XXV. non pauci divites damnantur ob neglectam eleemosynam: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere.* Atqui si praeceptum eleemosynam erogandi ad solam necessitatem extremam restringeretur, rari admodum essent divites, qui ex omissione hujus praecepti damnarentur, cum rarus sit extremae necessitatis casus. Ergo &c.

Prob. 2. pars. I. *Joan.* VII. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Caritas Dei manet in illo?* unde sic: Ex *Joanne* signum

signum violatae Caritatis est eleemosynae negatio ne dum ex superfluis, verum etiam ex substantia hujus mundi pauperi simpliciter indigenti: Sed eleemosyna quae pauperi simpliciter indigenti eroganda erit absolute ex substantia, profecto ad aliqualem status decentiam pertinet. Ergo in gravi proximi necessitate ei succurrendum est ex bonis etiam necessariis ad aliqualem status decentiam.

Praeterea homo ex Caritate proximum diligere tenetur, sicut seipsum. Atqui nolle proximum a gravi malo liberare cum aliquo suo incommodo, non est diligere illum, sicut seipsum. Ergo &c.

Hinc in quibusdam eventibus, nimirum urgente annonae penuria, divites ut pauperes qui cum fame luctant, sublevent, sub gravi restringere tenentur impensas, quas alioquin ad sui status decorem facere solent: nimirum minuere numerum servorum, convivia, vestium luxum, ludos, ludrica &c. Verum haec aliqualis decentiae status diminutio juxta prudens dictamen facienda est. Nam sunt quaedam adeo necessaria ad status decentiam, ut iis nemo carere adstringatur, nisi ut extreme indigenti subveniat. Ad regulas ergo christianae prudentiae res isthaec metienda est.

Prop. IV.

Gravis est obligatio eleemosynam impertiendi de superfluis vitae, & statui etiam in

in communi pauperum necessitate.

Prob. I. Christus damnationem divitibus minatur, quod non paverint esurientes, quod non potaverint sitientes, quod nudos non vestierint. Sed haec conveniunt pauperibus in communi necessitate constitutis; nam esuries, sitis, nuditas communibus pauperibus convenit. Ergo &c.

Prob. II. Apostolus I. *ad Tim.* VI. divitibus praecipit, ut facile tribuant, communicent, eleemosynis thesaurizent sibi aeternae vitae divitias. Sed praeceptum facile tribuendi, idest erogandi frequenter eleemosynas, indicat necessitatem non solum extremam vel gravem quae raro accidit, sed etiam communem egestatem quae obvia est. Ergo &c. Adde Patres, qui divitibus extrema damnationis pericula minantur, eo quod in pauperes superflua effundere negligant, nullâ sive extremae, sive gravis necessitatis factâ mentione.

Praeterea probatur ratione. Quî enim fieri potest, ut dives pauperem diligat, sicut seipsum, si proximi egestatem ne suis quidem superfluis velit sublevare?

Dices cum *Antonino Diana tom.* 4. *Tract.* 7. *resol.* 12. & 13. si superflua distribuenda essent, nemo posset ad altiorem statum ascendere: quod tanquam absurdum omnes rejiciunt. Praeterea sequeretur, licitum pauperibus esse divitum superflua surripere.

R. Ad

R. Ad I. licitum esse ascensum ad altiorem statum superioris ordinis, dummodo sine pauperum detrimento fiat. Status enim mutatio divinae Providentiae consentanea est, & Reip. expediens, cum cives potentes, & divites Reip. sint nervi & ossa. In his tamen altioribus gradibus assequendis christiana moderatione opus est, ne cum Laxonibus dicamus, quod damnavit *Innocentius* XI. propositione 65. *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

Hinc solidiores Theologi quatuor conditiones requirunt, ut licite quis possit altiorem statum appetere. 1. Ut ascensus sit probabilis. 2. Ut non sit cupiditatis affectus. 3. Ut communis pauperum indigentia non negligatur. 4. Ut in casu gravis pauperum indigentiae renuncietur ascensui, ne renuncietur eleemosynae.

R. Ad II. peccare pauperes, si divitibus superflua surripiant in communi, vel gravi necessitate: quod patet ex damnata propositione ab *Innocentio* XI. *Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.* In extrema autem egestate permissum est aliena surripere, cum eo casu omnia fiant communia, saltem quod ad usum. In gravi vero, vel communi paupertate id vetitum, & quidem jure

jure naturae, ne innumeris furtis pateret aditus cum magno Reip. detrimento.

Hinc graviter peccant divites, qui ex superfluis nolunt vel nullatenus, vel sufficienter succurrere pauperibus etiam communiter indigentibus. Neque excusantur ex eo, quod consilium inierint post suam mortem bonorum partem pauperibus relinquendi. Nam eleemosynae praeceptum urget in vita, & dum pauper miseriam patitur.

Q. I. *Quaenam Eleemosynae quantitas in communes pauperes eroganda sit?*

R. Omnia superflua distribuenda Christus jubet. Sed haec superflua cum nullo certo concludantur orbe, certae ac praecisae mensurae non subjacent. Hinc Theologi hac de re varie senserunt; aliqui enim decimam, alii quinquagesimam partem redituum assignant. *D. Thomas a Villanova concione* II. *de S. Martino* hanc regulam tradit, nimirum si dives ad arbitrium boni viri certam pecuniae portionem juxta suos reditus quotannis pauperibus erogandam assignet. Ecclesiastici vero tenentur erogare de reditibus beneficiorum quidquid eorum sustentationi superest. Praeterea Praelati, Parochi suorum subditorum necessitates corporales & spirituales tenentur inquirere, cum illorum curam ex officio gerere debeant, & erga illos parentum vicibus fungantur. Vide Tridentinum *sess.* XXIII. *cap.* 1. Alii

1. Alii vero non tenentur inquirere. *Non tenetur homo per mundum quaerere indigentes quibus subveniat, sed eis qui sibi occurrunt* (vel quos aliunde novit) *misericordiae opus impendat : D. Thomas 2. 2. q. 71. art. 1.*

Q. II. *Num dives satisfaciat eleemosynae praecepto, si indigentibus rem mutuo tribuat?*

R. Cum distinct. Si pauper nusquam habeat bona, nec certam ac proximam spem ut consequi possit, eleemosynae praecepto non fit satis per mutuum, venditionem creditâ pecuniâ, aut alium onerosum contractum : quia in hisce circumstantiis urget praeceptum eleemosynae, estque a praecepto mutuandi distinctum.

Si vero pauper alibi habeat bona, aut certam ac proximam spem percipiendi ex fundo, agro, propria industria &c. tunc eleemosynae praecepto fit satis mutuo, ac venditione &c. Quia proximus hîc & nunc non est absolute pauper, cum indigeat solum in hac temporis circumstantia, cui sufficienter mutuo succurritur. Hinc eleemosynae pensum absolvitur, si agricolae nunc egenti, sed uberrimam messem expectanti mutuum detur.

§. III.

§. III.

De Bonis, quibus Eleemosyna fieri debeat.

Q. I. *Num liceat erogare eleemosynam ex bonis alienis?*

R. Regulariter loquendo non licere. Prob. Quia unicuique praeceptum est eleemosynam dare de bonis propriis. *Ex substantia tua fac eleemosynam*, dicitur *Tobiae* I. Hinc eleemosyna fieri nequit ex bonis furto, rapina, usura*, seu injustitia comparatis: ejusmodi enim bona veris dominis quibus surrepta fuere, sunt restituenda.

Dixi, *regulariter loquendo*. Quia, extrema proximi necessitate urgente, licet aliena tollere, si propria non suppetant, ut extreme indigenti subveniatur.

Q. II. *Num fieri possit eleemosyna ex illicite comparatis, quae tamen juste detinentur?*

R. Affir. Quamvis enim haec bona iniquitate sint parta, injuste tamen data non fuerunt. Ergo nec injusta eorum detentio; ac proinde licita de his fit eleemosyna. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei: unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri.*

§. IV.

De His, qui Eleemosynam erogare possunt, ac tenentur.

Q. I. *Quinam possint, ac debeant Eleemosynam erogare?*

R. Omnes, qui rerum suarum dominio, & libera administratione potiuntur. Nemo enim donare potest quod suum non est, vel cujus alienatio vetita est. Secus vero illi, qui tali dominio carent, nisi domini consensus expressus, aut tacitus accedat.

Hinc, excepta extrema necessitate, famuli, & famulae non possunt de rebus dominorum eleemosynam facere, sine eorum consensu expresso, vel tacito, vel prudenter praesumto: possunt vero ex his, quae sunt in propriam sustentationem collata, partem aliquam adimere, & in pauperes distribuere; dummodo virium extenuatione non reddantur inutiles ad debitum pensum solvendum. Idem dicendum de filiisfamilias; nam quae sunt filiifamilias, sunt patris, ait *D. Thomas*.

Excipiuntur aliqui casus. I. Filiusfamilias si habeat bona castrensia, nempe quae militando comparaverit; vel quasi-castrensia, quae scilicet ex officio publico, vel beneficio acquisierit: de his pro arbitrio eleemosynas erogare potest, eo quod pleno

pleno horum dominio, & administratione potiatur.

II. Possunt filiifamilias ex bonis parentum sibi traditis ad honestam recreationem, aliosque usus honestos aliquid adimere, & in eleemosynas distribuere. Similiter dum parentum negotia agunt, dum foris studiis incumbunt, possunt moderatas, suaeque conditioni congruas eleemosynas facere; cum rationabiliter praesumatur tacitus parentum consensus.

III. Uxores per se loquendo non possunt de fructibus dotalibus, & de bonis communibus, scilicet de his quae tum marito, tum uxori communia sunt, extraordinarias eleemosynas facere sine consensu mariti, ad quem pertinet eorum bonorum administratio: possunt tamen etiam marito invito, vulgares & modicas facere eleemosynas eo modo, quo solent aliae feminae ejusdem conditionis & fortunae, quia id censetur ad honestam ejus sustentationem pertinere. Licitum tamen est uxori in pauperes erogare, etiam invito marito, bona, quae per contractum matrimonialem specialiter sibi reservavit, aut quae labore extraordinario, & indebito lucrata est; quia horum bonorum uxores absoluto pollent dominio, nisi obstet Regionis consuetudo.

IV. Monasteriorum Praelati tenentur & valent de superfluis eleemosynas facere;

quia

quia hoc pertinet ad rectam administrationem Religiosae familiae. Item Monachus, qui a Praelato habet administrationem aliquam sibi commissam, potest consuetas facere eleemosynas, quas Regula, vel consuetudo permittit. Item qui possidet beneficium Monasterio non incorporatum. Ceterum Monachi privati non possunt eleemosynas erogare, nisi de expressa, vel praesumta superioris licentia.

Q. II. *Quibus potissimum pauperibus Eleemosyna eroganda sit?*

R. Ceteris paribus, facienda est potius propinquioribus, quam extraneis, juxta dicta superius de ordine Caritatis. Iterum pauperum albo accensendi sunt Religiosi vere indigentes, qui virtutis amore, Deoque ferventius inserviendi desiderio, omnia dimiserunt.

Sectio II.
De Correctione Fraterna.

Q. I. *Quid, & quotuplex sit Fraterna Correctio?*

R. Cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 33. *art.* 1. est spiritualis eleemosyna, ac proinde actus misericordiae a Caritate dimanans, qua quis secreta admonitione malum proximi, quatenus illi noxium est, removere studet. Hinc correctio duplex est: altera *fraterna*, quam descripsi; altera *judicialis*, quae

quae peccatum proximi respicit, quatenus est aliis noxium, praesertim bono communi, & ordinatur potius ad delinquentis punitionem, quam ad ejus emendationem estque actus justitiae vindicativae, cujus est conservare rectitudinem justitiae unius ad alterum. Ad eam exercendam requiritur jurisdictio in corripiente, & forma judicialis. Additur tertia inter eas media, quae dicitur *correctio paterna*, qua scilicet superior cum auctoritate corripit delinquentem, ut ad bonam frugem se recipiat, sed absque forma judicii.

Q. II. *Num exstet praeceptum Correctionis Fraternae?*

R. Affir. Prob. *Matth.* XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum. In te*, i. e. coram te, te sciente. Praeceptum hoc divinum est, quia a Deo latum in Scripturis: est etiam naturale, utpote in illo naturae principio insitum: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris*. Hinc sequentia adnotetis volo, nimirum

Praeceptum hoc omnes adstringere 1. tam fideles, quam infideles. 2. Ejus obligationem ex genere suo gravem esse, cujus transgressio absolute mortalem culpam inducit; nisi inadvertentia, vel parvitas rei excuset. 3. Praeceptum hoc, ut negativum, obligare *pro semper*: quare nunquam licet aut verbis, aut quocunque modo proximum approbare, cum peccat; puta cum detrahit,

hit, impudice loquitur &c. ut affirmativum non obligare *semper*, quemadmodum cetera praecepta, quae affirmativa appellantur.

Q. III. *Quaenam requirantur conditiones, ut praeceptum Fraternae Correctionis obliget?*

R. Ad quatuor potiſſimum has conditiones revocari. I. Eſt gravis peccati notitia. II. Ut ſpes probabilis emendationis habeatur. III. Ut ſit perſonae, & temporis opportunitas. IV. Ut commode praeſtari poſſit.

Et Prima quidem *gravis eſt peccati notitia*, h. e. notitia moraliter certa: nec ſufficit dubia, vel leviter probabilis, alioqui correctio vel monitio eſſet temeraria. Secus vero dicendum de ſuperiore, qui tenetur inquirere: cum ſuorum ſubditorum malis etiam dubiis ex officio debeat occurrere.

Altera autem conditio eſt, *ut probabilis emendationis ſpes habeatur*, cum emendatio finis intrinſecus ſit fraternae correctionis; quo ceſſante, ceu inutilis deſinit obligare. Excipe, niſi tacendo malum approbare videaris: tunc honor Dei, & proximi Caritas urget ad correctionem, licet haud ſperetur fructus. Verum haec ſtricte non erit correctio fraterna, ſed alius actus Deo, & alteri proximo debitus.

Tertia vero, ut ſit *perſonae, & temporis opportunitas*: perſonae quidem op-

portunitas, si scilicet non adsit persona magis idonea, quae possit, ac velit corrigere: temporis vero opportunitas, cum nimirum expensis circumstantiis, alio tempore utilior proximo futura existimatur.

Quarta denique, ut *commode praestari possit*. Nemo enim cum suo gravi incommodo ad correctionem tenetur, extremâ necessitate exceptâ.

Q. IV. *Quodnam peccatum sit Fraternae Correctionis materia?*

R. Quodvis peccatum mortale non emendatum est fraternae correctionis materia, utpote malum gravissimum. Secundum aliquos etiam peccatum veniale per se loquendo fraternae correctionis praecepto subest, sed sub veniali obligatione, nisi subsit proximum periculum ex veniali sequi mortale, vel grave scandalum, vel magnum damnum Ordini Religioso; quia in hisce circumstantiis tenemur sub gravi.

Dixi, *per se loquendo*: saepe enim nulla est obligatio correctionis respectu venialis, cum sit magis obfutura, quam profutura, praesertim saecularibus.

Q. V. *Num dubius de Correctionis eventu, adstringaris illam omittere?*

R. Si aeque de profectu, ac nocumento timeas, omittenda correctio est. Si autem dubites de profectu, nihil vero times de nocumento, fungi officio tuo debes. Nocumenti nomine novum peccatum

in-

intellige, non vero maerorem, ac turbationem delinquentis.

Q. VI. *Num peccata ex ignorantia commissa vi praecepti corripienda sint?*

R. Convenit inter omnes, correctionis praeceptum urgere in hisce circumstantiis: 1. si ignorantia culpabilis sit. 2. Si ex ignorantia etiam invincibili fructus speretur. 3. Quando agitur de medio necessario ad salutem, etiamsi proximus de illo invincibili ignorantia laboret.

Q. VII. *An sit aliquis ordo in Correctione Fraterna servandus?*

R. Affir. Hic ordo praescribitur *Matth.* XVIII. *Si peccaverit .... corripe inter te, & ipsum solum ... si te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos .... Quod si te non audierit, dic Ecclesiae*. Ubi nota ex communi Theologorum sententia, hunc ordinem esse a Christo sub praecepto praescriptum, quem, exceptis quibusdam casibus, non licet omittere.

Hinc sequentes excipiuntur casus, quibus peccatum proximi, non praemissa monitione, statim deferendum est superiori. 1. Quando peccatum proximi ita est publicum, ut per denunciationem immediate Praelato factam, infamari non censeatur. 2. Quando peccatum licet occultum in damnum cedit Communitatis, ut proditio patriae &c. 3. Quando monitio tua, vel aliorum inferiorum non profutura judicatur.

Ex dictis colliges 1. graviter peccare, qui ex levi incommodo, vel ex timore, ne proximus offendatur, omittit correctionem profuturam. 2. Qui sine justa caussa ordinem non servat a Christo praescriptum. 3. Qui corripit, vel denunciat non ex Caritate, sed odio, ut proximus confundatur, vel deprimatur. Haec intellige, cum agitur de re gravi.

C A P. V.

De Vitiis Caritati contrariis.

Vitia, quae specialiter Caritati adversantur, haec numerantur: odium, scandalum, acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, rixa, seditio, bellum, & duellum. De quibusdam pauca dicemus.

§. I.
De Odio.

Q. I. *Quid, & quotuplex sit Odium?*

R. Odium est actus mentis objectum aversantis: duplex est, unum dicitur odium *inimicitiae* seu personae, quo alicui personae quae nobis displicet, malum volumus, quatenus ipsi malum est. Alterum *abominationis* seu qualitatis, quo personae adversa-

ſamur non ſecundum ſe, ſed ſecundum qualitatem aliquam in ea repertam, quatenus ea vel nobis vel alteri repugnat.

Q. II. *Quale peccatum ſit Odium Dei?*

R. Quodcunque Dei odium eſt graviſſimum peccatum. Nam 1. odium inimicitiae directe & formaliter avertit a Deo, & directe opponitur Caritati. 2. Odium abominationis eſt graviter Deo injurioſum; quia in Deo nulla malitia, vel defectus cadere poteſt, ita ut abominatione atque odio dignus ſit.

Q. III. *Quale peccatum ſit Odium proximi?*

R. I. Odium inimicitiae peccatum eſt mortale ex genere ſuo, quippe *Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, I. *Joan.* III. Fieri autem veniale poteſt materiae parvitate, aut imperfecta deliberatione. Aliud eſt de odio Dei, quod materiae parvitate fieri veniale nequit: nam quodcunque malum, licet leviſſimum, quod Deo optamus, eſt ei graviter injurioſum.

R. II. Odium abominationis erga proximum, ſi ſine juſta cauſſa concipiatur, caritati repugnat, & eſt peccatum grave, vel leve pro gravitate, vel levitate materiae: ſi vero concipiatur non ex odio perſonae, ſed ex vitiorum averſione, tunc ſi cum debito caritatis ordine fiat, culpa vacat, & laudabile eſt, juxta illud *Pſal.* 38. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? Perfecto*

odio oderam illos: quae verba ſic exponit *Auguſtinus*: *Perfecto odio odiſſe, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas*.

Hinc I. illicitum eſt optare, vel imprecari malum proximo, quatenus ejus malum eſt, vel dolere de ejus bono, quatenus ejus bonum eſt; quia ſunt actus caritati repugnantes, ideoque ex genere ſuo graves, niſi levitas materiae, vel imperfecta advertentia excuſet. Item non licet de malo proximi gaudere, licet de illo gaudeas, non ut malum ipſius eſt, ſed praeciſe propter bonum ſive tuum, vel aliorum: cum hujuſmodi actus repugnent debito ordini caritatis, quo tenemur bonum proximi majus, & altioris ordinis praeferre noſtro minori, & inferioris ordinis. Hinc damnatae propoſitiones ab *Innocentio* XI. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, vel de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonae, ſed ob aliquod temporale emolumentum*. Ceteras vide in Conſtitutione ejuſdem Pontificis.

II. Licitum eſt gaudere de alicujus infirmitate, aliâve temporali aerumna, ut ad meliorem frugem redigatur, & peccare deſinat; quia ordo Caritatis praefert ſpirituale bonum temporali. Licitum eſt optare in bello juſto hoſtium excidium ob bonum

num Reip., cum bonum communitatis tuae bono alterius communitatis praeferre debeas: Item malefactori debitam poenam a judice infligendam eo fine, ut injuriae, & alia mala de medio auferantur, reorum vindicta, & punitione. Vide *D. Thomam in* III. *dist.* 30. *art.* 1. *ad* 4.

Q. IV. *Utrum mala, quae proximo exoptantur, sint in Confessione aperienda?*

R. Affir. Quia actus interiores diversam speciem accipiunt ab objectis specie diversis. Hinc in Confessione teneris mali speciem, quam proximo exoptasti, aperire: mortem E. G. vel temporaneam vel aeternam, divitiarum, aut famae jacturam. Quia hujusmodi interiores actus licet conveniant in generali ratione odii, quo imperantur; habent tamen diversas a diversis objectis difformitates. Ita multi contra multos. Idem dic de personis, quas odio habuisti: teneris dicere in Confessione, utrum odisti parentes, uxorem, filios, fratres, superiores &c.

Q. V. *Num grave peccatum sit proximo maledicere?*

R. Affir. si cum animo deliberato grave malum quis proximo imprecetur: ut cum quis in haec verba prorumpit: *Diabolus te rapiat, utinam mortuus sis:* quia est actus odii imperatus: unde *secundum se repugnat Caritati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius, & ita secundum suum*

genus est peccatum mortale, & tanto gravius, quanto personam cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur. Ita *D. Thomas* 2. 2. *q.* 76. *art.* 3. Duo ergo spectanda, ut gravitas maledictionis deprehendatur: malum grave, quod sibi, vel proximo quisque imprecatur, & animi deliberata assensio. Quare semper ac quisque serio ac deliberate malum grave sibi, vel proximo imprecatur, a peccato gravi non excusatur, etsi praeterita passione, ab animo quiescente soleant dicere qui talia fantur, se nolle evenire malum, quod in satis deliberata ira sunt imprecati; nam satis est ad peccatum, ut irae deliberato animo assentiaris. Potest etiam esse grave, quamvis ore tenus haec mala impreceris.

1. Ratione contumeliae, ut si persona cui maledicis, singulari veneratione digna sit. 2. Ratione scandali, ut faciunt parentes, qui suo exemplo filios edocent, sibi vel aliis grave malum imprecari. *A gravi tamen peccato excusatur qui ex levi motu, vel ex ludo, aut subreptione aliqua talia verba profert, quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur*. *D. Thomas* ibid.

De Maledictionibus contra creaturas irrationales haec scribit idem S. Doctor 2. 2. *q.* 76. *art.* 3. *Maledicere autem rebus irrationabilibus, in quantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae: maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum,*

sum, & vanum, & per consequens illicitum.

§. II.
De Scandalo.

Q. I. *Quid sit Scandalum?*

R. Scandalum ex *D. Thoma*, *est dictum, vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis*.

Dicitur 1. *dictum, vel factum*, ut indicetur actio externa, qua sola alii ad peccandum irritari possunt, sive id fiat dictis, sive factis. Item sub nomine dicti, vel facti venit omissio dicti, factive; nam qui omittit agere, vel loqui quod debet, aliis est scandalo.

Dicitur 2. *minus rectum*. Quia Scandalum oritur non solum ex actione per se mala, ut sermo obscenus, sed ex ea etiam, quae speciem & apparentiam mali habet. Sic scandalo est Clericus qui apud se mulierem populo suspectam detinet, licet absit omne peccatum, & peccandi periculum; cum ejus factum speciem mali habeat.

Dicitur 3. *praebens occasionem ruinae*. Quia ad rationem scandali necesse non est, ut ruina proximi actu sequatur: sed sat est, ut eidem occasio ruinae praebeatur.

Q. II. *Quotuplex sit Scandalum?*

R. I. Scandalum duplex est, *activum*, & *passivum*. Activum est quod jam defi-

nivimus: Passivum est ipsa ruina illius qui peccat, occasione accepta ex alieno dicto, vel facto.

II. Scandalum activum, quod propriè scandalum est, dividitur in *formale* seu directum, & *interpretativum* seu indirectum. Scandalum directum est dictum, vel factum, quo quis expresse intendit proximum ad peccatum inducere: ut cum quis puellam sollicitat ad crimen, sive hoc intendatur in genere moris, ut nimirum persona sollicitata Deum offendat, & animam perdat, quod rarum est, & diabolicum; sive, ut vulgo fit, intendatur solum propter utilitatem & delectationem propriam, vel alterius.

Scandalum indirectum est illud, quo licet quis non intendat expresse inducere proximum ad peccatum, nonnulla tamen dicit, aut facit, quae sunt aliis occasio peccandi.

III. Scandalum passivum est ipsa ruina proximi, estque duplex, *datum*, & *acceptum*. Datum est, quod oritur ex activo jam descripto. Acceptum seu pure passivum, est quod quis accipit ex dicto, vel facto alterius: quod tamen ex parte sui non censetur moraliter illi praebere occasionem ruinae.

Subdividitur acceptum in Scandalum *pusillorum*, quod oritur ex infirmitate, & ignorantia ejus qui scandalizatur; & in aliud,

aliud, quod oritur ex pura malitia, & dicitur *pharisaicum*, quia Pharisaei hoc modo & doctrina, & factis Christi scandalizabantur. His praenotatis,

§. III.
De Scandalo Activo.

Q. *Num Scandalum sit peccatum, & quale?*

R. Scandalum activum ex genere suo est peccatum grave, continens duplicem malitiam, necessario in Confessione exprimendam: unam contra Caritatem proximi, alteram contra eam virtutem, cui repugnat peccatum, ad quod inducit.

Prob. 1. pars. *Matth.* XVIII. Christus gravissimam minitatur poenam Scandalum praebentibus: *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Sed grave supplicium gravem culpam designat. Ergo &c.

Prob. 2. pars. Ex lege Caritatis tenemur proximum a peccato revocare. Ergo contra Caritatem peccat qui suo verbo, vel facto proximum ad illud inducit.

Prob. 3. pars. Ad contrahendam malitiam specialem contra aliquam virtutem sufficit, ut libere ponatur actus illi contrarius. Nam singulae virtutes non solum

obligant ad eliciendos actus ipsis conformes, verum etiam prohibent actus ipsis contrarios. Sed qui dicto, vel facto inducit aliquem ad peccandum, ponit actum, etsi non in se, saltem in alio contrarium virtuti, cui opponitur peccatum, ad quod inducit. Ergo &c.

Dices: Hoc verum est de Scandalo directo & formali, non vero de Scandalo indirecto & interpretativo. Nam I. Scandalum indirectum non est speciale peccatum contra caritatem. Ratio est, quia ut quis committat peccatum specialiter distinctum, requiritur, ut habeat specialem finem contra virtutem oppositam. Sed qui suo exemplo movet aliquem ad peccatum, non habet hunc specialem finem contra Caritatem. Ergo ejus peccatum non est speciale contra Caritatem. Ita *Sanchez*, *Bonacina*, aliique.

II. Etsi peccet contra Caritatem, non peccat vero contra eam virtutem, quam laedendi suo exemplo fuit occasio. Ratio est, quia reliquae virtutes non obligant saltem graviter, ut impediamus in aliis vitia opposita, sed tantum, ne positive intendamus proximum inducere ad eas offendendas. Ergo scandalum indirectum vel non est speciale peccatum contra Caritatem, vel saltem contra eam virtutem, contra quam pravo exemplo proximus inducitur. Ita *Delugo*, *Tamburrinus*, aliique Recentiores. Ad

Ad I. R. Ut quis reus exsistat alicujus violatae virtutis, necessarium non esse, ut expresse, ac directe eam laedere intendat: sed sufficit, ut libere ponat actionem illi contrariam. Ut patet in eo, qui inimicum in Ecclesia occidens, etiamsi expresse violare Religionem non intendat, facto tamen eam laedit, nec solum violatae justitiae, verum etiam violatae Religionis reus exsistit. Ita pariter qui suo exemplo aliquem ad peccatum inducit, etsi expresse violare non intendat Caritatem, & virtutem illam, cui opponitur peccatum, ad quod suo exemplo inducit; tamen utriusque virtutis erit violator: quia licet non expressa intentione, facto tamen ipso libere posito eas laedit.

Ad II. R. Quamlibet virtutem non solum contrarios prohibere actus; verum etiam prohibere, ne alteri occasio detur inductiva eam laedendi. Ratio est, quia occasio licet per se in actum non influat; est tamen caussa moralis, ut proximus peccet. Dicitur *caussa moralis*, quae in substantia aequivalet caussae directe ad peccatum inductivae, cum sine ea proximus non peccaret.

Ex quo non sequitur, eum qui suo pravo exemplo alterum ad furandum, ad fornicandum impellit, ad restitutionem damni quod inde sequitur, adstringi. Quippe ii solum restitutionis lege devinciuntur, qui

qui sunt caussa moralis, ut alii aut furentur, aut fornicentur, aut damnum quodcunque temporale proximo inferant. Porro qui exemplo duntaxat alios pelliciunt, occasio, non caussa moralis sunt damni illati. Ita *Salmanticenses Tract.* 21. *cap.* 8. *punct.* 5. §. 1. *num.* 57. quos laudat & sequitur *Concina lib.* 1. *in Decal. disp.* 9. *cap.* 3. *num.* 5. Sed vide quae dicemus in *Tract. de Restit. cap.* 4.

Dixi, *Scandalum activum esse peccatum grave ex genere suo*; quia potest esse veniale, si detur solum occasio culpae venialis.

Ex dictis resolves I. peccare mortaliter contra caritatem & castitatem, qui componunt, vel agunt comoedias obscenas, scribunt libros amatorios, cantilenas turpes. 2. Qui imagines, aut statuas obscenas effingunt, aut palam exponunt. Lege *Augustinum lib.* 1. *Confess. cap.* 16. 3. Mulieres quae nudo pectore incedunt. 4. Quae sine justa caussa alicui se conspiciendam praebet, a quo putat se male concupitum iri, licet id faciat ex mera vanitate, & sine animo illius amorem excitandi: cum haec omnia notabiliter ad libidinem provocent.

Item mortaliter peccant qui alios etiam joculariter fatigando, eosdem ad blasphemias, graves contumelias, aut imprecationes inducunt.

Resolves II. peccantem coram iis, quos

nec

nec praevidet, nec praevidere poteſt, exemplo ſuo eſſe ad peccatum alliciendos, puta qui blaſphemiat coram Religioſis, reum quidem eſſe blaſphemiae, non vero ſcandali. Quia peccatum coram aliis commiſſum, tunc ſolum ſcandali habet malitiam, quando adeſt probabile periculum, ne ii, coram quibus committitur, inde trahantur ad peccatum. Hinc illud *Hieronymi* in *Matth*. XVIII. *Perfecti Scandala non recipiunt*: imo ex conſpectu praevaricantium ad deteſtationem peccati, & ad Dei amorem inflammantur. Contra Scandali reus eſt qui praevidet, vel praevidere poteſt illum qui actionem ſuam videt, expoſitum eſſe peccandi periculo, licet de facto non peccet. Quare dari poteſt Scandalum activum ſine paſſivo, ſicut in Phariſaeis paſſivum ſine activo.

Reſolves III. Opus indifferens, vel veniale ſaepe tranſire in mortale ratione ſcandali, cum periculum ſit, ne infirmi, & imperiti inde ſumant mortaliter peccandi occaſionem. Hinc Apoſtolus I. *ad Cor.* VIII. reprehendit fideles plene inſtructos, qui carnes Idolo immolatas comedebant coram infirmis falſo putantibus id eſſe illicitum: qui inde praeter intentionem comedentium induci poterant ad eas contra conſcientiam erroneam comedendas.

Reſolves IV. in Confeſſione aperiendum eſſe numerum eorum, quibus ſcanda-

dalum datur, non secus ac numerum hominum uno ictu occisorum. Quia, ut alibi dictum est, numerus multiplicat peccatum.

§. IV.
De Scandalo Passivo.

Q. I. *Num Scandalum Passivum permitti possit?*

R. cum distinct. Si Scandalum datum sit, nunquam licet: si vero sit acceptum, subdistinguo: si proveniat ex malitia, licet; si vero non ex malitia, sed ex infirmitate nascatur, licet, quoties citra grave incommodum tollere illud non possumus.

Prob. 1. pars. Scandalum passivum, quod dicitur datum, oritur ex opere illicito. Ergo sicut hoc nunquam licet permitti, ita nec Scandalum quod ex eo oritur.

Hinc mulier ab ornatu inhonesto tenetur se abstinere: quia Scandalum quod in aliis sequitur, est datum, utpote proveniens ex opere illicito.

Prob. 2. pars. Scandalum, quod ex malitia oritur, alteri praejudicare non debet, sed ipsi accipienti imputandum. Ergo licet illud permittere. Nam si ejus haberetur ratio, omnia perturbarentur. Hinc ad evitandum scandalum pharisaicum nulla bona

bona seu temporalia, seu spiritualia sunt dimittenda. Quia Scandalum pharisaicum, utpote ex malitia ortum, non debet alteri praejudicare. *S. Thomas* 2. 2. *q.* 43. *art.* 8.

Prob. 3. pars. Scandalum acceptum oritur ex opere licito. Ergo non teneor illud tollere, si grave incommodum mihi inde sequatur.

Dixi, *citra grave incommodum.* Nam ex lege Caritatis impedire peccatum proximi teneor, quando facile possum.

Ex hac tertia parte innumera magni momenti corollaria erui possent: sed e pluribus haec seligam.

I. Ad evitandum Scandalum passivum nunquam agere licet, quod lege naturali prohibetur; quia nemo, ne alius peccet, peccare debet. Item nunquam propter Scandalum dimittenda sunt opera, quae necessaria omnino sunt ad salutem: quia ordo Caritatis postulat, ut homo salutem suam spiritualem magis diligat, quam alterius. *S. Thomas* 2. 2. *q.* 45. *art.* 7.

II. Opera spiritualia, quae sub consilio cadunt, ad vitandum Scandalum infirmorum & ignorantium, aut occultanda, aut differenda sunt, donec reddita ratione, scandalum cesset. Hinc filius aliquando tenetur ad breve tempus abstinere ab ineundo Religionis, aut Clericatus statu, cum inde futurum sit, ut ejus parentes graviter turbentur, & peccent jurando, malum imprecando. Di-

Dixi, *donec reddita ratione &c.* Nam si post redditam rationem hujusmodi Scandalum duret, jam videtur ex malitia esse, atque ita *propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda. S. Thomas 2. 2. q. 43. art. 7.*

III. Praecepta affirmativa sive sint naturalis, sive positivi juris, ad vitandum scandalum pusillorum interdum sunt praetermittenda, cum caritati deserviant. Hinc correctio fraterna praetermittenda, cum proximus creditur inde pejor futurus. Mulier praevidens se ab homine impudice amandam, si ad Sacrum eo die festo pergat, illud omittere tenetur semel, aut iterum; quia ordo Caritatis exigit, ut eligatur minus malum, ut majus vitetur.

Dixi, *semel, aut iterum.* Nam longo tempore a Sacro abesse grave foret damnum spirituale, quod mulier non tenetur subire ad impediendam ruinam alterius; qui licet ex infirmitate, cadit tamen voluntarie.

IV. Licet hero ex industria relinquere clavem in arca, ut famulus furans deprehendatur, ut corrigatur; tunc enim rationabiliter permittitur furtum unum, ut plura vitentur. Non licet tamen talia ultro ponere, aut pericula objicere, quia hoc esset positive ad peccatum concurrere, & alteri praebere occasionem peccandi.

Q. II. *Num peccet peccato Scandali, qui determinato ad majus peccatum patrandum suadet, ut minus committat?*

R. Affir. Ita multi. Quia per se malum est inducere aliquem ad quodcunque peccatum. Ergo nullo casu est licitum. Volentem tamen committere peccata inaequalia, licet a graviore deterrere, tacendo de alio minus gravi; quia hoc est duntaxat suadere omissionem gravioris.

§. V.
De Cooperatione ad peccatum.

Dicitur quis cooperari peccato alterius, quando illi exhibet aut materiam, aut objectum, aut facultates peccandi. Dupliciter potest quis cooperari peccato alieno vel *formaliter*, vel *materialiter*.

Formaliter quis cooperatur peccato alterius, quando *directe* aut *indirecte* intendit peccatum proximi cum sua operatione conjungendum. Materialiter dicitur quis cooperari, quando praebet duntaxat materiam de se indifferentem, qua alius ex sua malitia abutitur ad peccandum, quod ille vel non praevidet, vel si praevideat, nullo tamen pacto censetur intendere.

Q. I. *Num liceat cooperari peccato alieno?*

R. Cum distinct. Si cooperatio est formalis, est semper illicita; si est materialis,

lis, illicita eſt, quoties fit ſine juſta cauſſa.

Prob. 1. pars. Qui formaliter cooperatur peccato alterius, ad peccatum illius proxime concurrit. Ergo cenſetur illud velle, & ei conſentire, quod ſemper eſt illicitum.

Prob. 2. pars. Cooperatio materialis ſe habet remote ad peccatum alterius. Ergo non cenſetur illud velle, ſed tantum permittere, ſi adſit juſta cauſſa illud permittendi.

Dixi, *ſi adſit juſta cauſſa*. Nam quiſque tenetur impedire malum proximi, ſaltem quando poteſt ſine ſuo gravi incommodo. Ergo & a fortiori tenetur ei non ſuppeditare vel materiam, vel objectum, vel facultates peccandi.

Q. II. *Quaenam conditiones requirantur, ut licite quis poſſit cooperari materialiter peccato alterius, quod praevidet?*

R. Tres eſſentialiter requiruntur. 1. Ut ſua operatio ſit per ſe bona, vel ſaltem indifferens. 2. Ne fiat ex prava intentione hominem inducendi, vel adjuvandi in actione peccati. 3. Ut adſit cauſſa juſta & proportionata eam ponendi.

Ratio eſt, quia poſitis hiſce conditionibus, non cenſeris proxime cooperari peccato alieno, ſed ſolum illud permittere ex juſta cauſſa, ob quam non teneris illud impedire.

Dixi 1. *ut operatio ſit per ſe bona, vel*

vel saltem indifferens; ita ut caussa principalis bene, aut male eâ uti possit. Quod si male utatur, hoc provenit ex sola agentis malitia.

Hinc stante justa caussa licet petere mutuum ab usurario, juramentum ab ethnico, Sacramentum a ministro indigno, quin eorum malitiae cooperetur. Quia ejusmodi actiones sancte praestari possunt, & sola ministrorum iniquitate malitiam contrahunt. Secus, *si operatio tua sit intrinsecus mala*, tunc nunquam licet eam ponere, nec etiam metu mortis. Nam quod intrinsecus malum est, nulla valet ratione honestari.

Heic autem notandum, actiones intrinsece malas non solum eas esse dicendas, quae naturâ suâ sunt malae; ut alicui peccatum suadere, vocare concubinam ut peccatum eat, & similia: verum etiam eas, quae de se & secundum esse physicum sunt indifferentes, quoties hîc & nunc sunt proxime ad peccatum ordinatae; ut scalam tenere, humeris ascendentem sustentare, ut hostem occidat. Quod patet ex propositione 51. ab *Innocentio* XI. damnata: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id facit metu notabi-*

lis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

Dixi 2. *ne fiat ex prava intentione hominem inducendi, vel adjuvandi in actione peccati*. Caussa enim, quae saepe excusat ab una, ab altera cooperatione ad peccatum proximi non excusat.

Hinc eo gravior caussa requiritur, 1. quo gravius est peccatum, quod non impeditur. 2. Quo minus remote cooperatio tua peccatum attingit. 3. Quo probabilius est, te haud cooperante, alterum non peccaturum. 4. Quo minus juris habes ad eam actionem. 5. Denique quo magis peccatum tuum cum justitia pugnat, idque propter damnum tertii.

Hinc 1. major requiritur caussa, ut ab indigno ministro confirmationem petere possim, quam baptisma, quod est magis necessarium. 2. Major requiritur caussa, ut vinum possint caupones vendere iis quos praevident inebriatum iri, quam cibos volentibus jejunium violare: cum ebrietas gravius peccatum sit jejunii solutione.

§. VI.
De Bello.

Bellum Caritati opponi docet *D.Thomas* 2. 2. *q.* 37. quatenus pacem rumpit, quae proprius est Caritatis effectus. Et sane

ne Deus nos creavit, non ut bella gereremus, nec populus populum laederet, sed pacem coleret. Sed quoniam per alienas injurias non semper pacem colere possumus, bellum ad pacem obtinendam gerendum est: quemadmodum in corpore naturali membrorum integritas conservanda est, nisi necessitas cogat ad membri putridi resecationem. Itaque primo ab hominibus pax colenda, cum is sit eorum status naturalis: at si pacem colere non licet, bellum gerendum est. Perperam igitur venditat *Hobbesius*, bellum esse homini quam maxime naturale, perinde ac creatus sit homo, ut hominem laederet.

Q. I. *Quid sit Bellum?*

R. Status est Societatum liberarum de jure controverso inter se vi certantium, certandique propositum retinentium.

Dicitur 1. *status*, non actus. Nam recte *Grotius de J. B. & P. lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. observat, usum invaluisse, ut non actus, sed status Belli nomine veniat. Quare saepe actu inter se haud certant belligerantes, hyeme scilicet, & tamen manet bellum.

Dicitur 2. *Societatum liberarum*. Nam quae aliorum imperio subsunt, belli gerendi jure non gaudent, cum suum habeant judicem. Hinc detestanda bella civilia, bella privata, rebelliones seu bella imperantem inter & cives.

Di-

Dicitur 3. *de jure controverso*. Est enim bellum modus litigandi in statu naturali. Ergo longe barbarum est, bellum honoris & gloriae, aut latrociniorum, aut amplificandi territorii caussa gerere. Hinc Alexander totius orbis latro appellatus est.

Dicitur 4. *vi*. Nondum ergo est bellum, ubi tantum calamis digladiantur inter se Principes, vel Legati inter se disputant.

Dicitur 5. *certandique propositum retinentium*. Pertinet haec clausula ad tempus induciarum; saepe enim armorum vis ad tempus vel breve vel longum suspenditur: sed manet adhuc certandi propositum. Ita bellum definit *Pufendorfius de Offic. Hom. & Civ. lib.* 2. *cap.* 16. §. 1.

Jus belli nonnisi summis Imperantibus competit, adeoque horum est milites legere vel conducere, castra urbesque munire, bellum decernere, milites etiam cum summo periculo hostibus opponere, leges de disciplina militari ferre, & similia: sine quibus finis obtineri non potest, externa nimirum Reip. securitas.

Q. II. *Quotuplex sit Bellum?*

R. Duplex est: *defensivum*, quo illata injuria depellitur; *offensivum*, quo vindicatur jus per injuriam interversum.

Q. III. *An licitum sit Bellum tam defensivum, quam offensivum?*

R. Affir. Et de defensivo quidem clarum

rum eſt, cum unicuique ex jure naturae vim vi repellere licitum ſit.

De offenſivo vero patet ex hoc, quod Principes ſummi, & Reſp. perfectae ac liberae, penes quos poteſtas ſolum eſt bellum indicendi, cum ſuperiore careant, a quo jus ſuum obtinere poſſint, nonniſi naturae acceptam referunt poteſtatem jus ſibi dicendi, partemque adverſam cogendi, ut ſibi faciat ſatis. Quod plerumque ſine bello fieri non poſſe, nemo non videt.

Porro juri naturae Scripturae etiam accedit auctoritas. Legimus enim in Veteris Teſtamenti libris, utriuſque generis bella, Deo auctore, ſuſcepta fuiſſe. Neque in Evangelio, per quod undique pax annuntiatur, bella juſta improbantur. Hinc nec Joannes Baptiſta venientes milites, nec Chriſtus ad ſe accedentem Centurionem juſſit nuntium militiae remittere. *Sciebat* (Joannes Baptiſta) *milites non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicae defenſores. S. Auguſtinus lib.* 22. *contra Fauſtum.*

Q. IV. *Quaenam ſint conditiones ad belli juſtitiam neceſſariae?*

R. *Tria requiruntur*, ait *D. Thomas* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *Primo quidem auctoritas Principis, cujus mandato bellum eſt gerendum....*

Secundo requiritur cauſſa juſta, ut

scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur.

Tertio requiritur, ut intentio bellantium sit recta, qua scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur.

Q. V. *Quaenam in specie sint caussae belli justificae?*

Heic in primis distinguendum inter caussas *justificas*, *politicas* & *praetextus*. Caussae justificae sunt, quibus bellum dicitur justum. E. G. vim vi repellere. Politicae, quibus bellum Reip. utile judicatur. E. G. Cato decernebat Carthaginem delendam. Praetextus sunt caussae justae, sed revera falsae. E. G Lupus conquerebatur, ovem sibi aquam turbidam reddidisse. *Pufendorfius lib.* 2. *cap.* 16. §. 2. De primi generis caussis hîc solum loqui est animus.

R. Duae potissimum assignantur, defensio scilicet, nostrarumque rerum recuperatio. Has videtur indicasse *Augustinus lib.* 6. *q. in Josue* X. ubi sic loquitur: *Justa bella definiri solent, quae ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quae bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est.* Quapropter recte monet idem S. Doctor, in caussa etiam justissima bellum haud temere suscipiendum esse, ob mala plurima, quae illud

illud comitantur, nisi summa nos ad hoc cogat necessitas: cum pacem habere debeat voluntas, bellum necessitas. Conferendus hîc *Grotius* ipse, qui *lib.* 2. *de J. B. & P. cap.* 24. diligenter inculcat, non temere etiam ex justis caussis bellum suscipiendum.

Q. VI. *An bellum utrinque justum esse possit?*

R. Id non posse ex rei natura, eo quod circa eandem actionem dari non possint jura contraria. Fieri tamen posse videtur, ut alter caussam justam habeat, alter injustam caussam se habere invincibiliter ignoret, ac proinde bellum *juste* uterque gerat.

Q. VII. *Quî debeat constare de caussae justitia, ut bellum licite inferatur?*

R. Caussas belli oportet esse liquidas. Tunc enim jus est in armis, cum gravis urget necessitas redimendi quae certis rationibus Principibus debentur.

Quid si caussa sit dubia?

R. Propositis utrinque argumentis, ad liquidum eam esse perducendam, omniaque media ut bellum impediatur, tentanda. Quo facto, is procul dubio jure arma corripit, qui justis propositis caussis, nihil aequi ab hoste impetravit. *Heinec. de J. N. & G. lib.* 2. *cap.* 9. §. 200.

De militibus praesertim subjectis Regi bellum inferenti, sufficit ut sibi non

constet de caussae injustitia. Eorum enim minime interest, ad trutinam Regis sententiam revocare: alioqui universa imperandi regendique fundamenta submoverentur.

Q. VIII. *Quaenam in bello justo sint licita?*

R. Generatim omnia, quae ad finem belli necessaria sunt. Quando enim finis est licitus, etiam licita sunt ad illum necessaria media: modo tamen non sint intrinsece mala, quae nullo casu sunt licita.

Hinc regula illa, *hosti in hostem in infinitum omnia licent*, recte intelligenda est. Non enim sensus est, licere omnia in infinitum quod ad qualitatem, ut nimirum possit quis adversus hostem scelus omne impune patrare: neque ut in laedendo semper perseveret; potius enim bellum geritur ut pax acquiratur, alias homo brutis ipsis esset deterior. At sensus est, aliquem vi uti posse in hostem, donec ille ad satisfactionem paratus sit. Ratio est, quia qui bellum nobiscum injustum gerit, hostili est animo, eumque retinet, quamdiu paratus non est ad satisfactionem. Ergo & laedi potest tamdiu, donec satisfaciat.

Jura gentium & belli sarta tecta sunt custodienda: ut veneno non inficere puteos, aquas, ceteraque quae ad victum necessaria sunt: Christianos in servitutem non redigere, cum id penes eos consuetudine re-

receptum non ſit: captam urbem in praedam non tradere niſi graviſſima neceſſitate urgente, propter multa ſcelera & mala, quae a militibus depraedantibus committi ſolent. Si neceſſitas ad id cogat, tenentur Duces diligentiſſime curare, ne ſcelera committantur. Innocentes, quales reputantur agricolae, infantes, feminae, Clerici, Monachi, qui arma non ſtringunt ad bellandum, occidere non licet, quamvis ſint partes Reip. hoſtilis. Quia nunquam licet directe occidere innocentes, licet vero indirecte & per accidens: Ut cum urbs expugnari, vel nocentes ſeu milites vinci nequeunt, niſi cum periculo & occiſione innocentum. Quare licet explodere tormentum bellicum in hoſtium turmam, cui permixti ſunt feminae, parvuli &c.

Q. IX. *Quaenam ſint obligationes Belli, Ducum, & Militum?*

R. Potiſſimum ſunt tres. Prima eſt fidelitas, & obedientia erga Principem, & militiae Praefectos. Contra quam, & quidem adverſus juſtitiam

Peccant belli Duces, 1. ſi militiae ſecreta revelent. 2. Si pauciores habeant milites, & ſtipendium pro pluribus accipiant. 3. Si militibus debitum ſtipendium non ſolvant, aut corruptam annonam ſubminiſtrent. 4. Si vi, fraude, dolo milites conſcribant.

Pariter peccant milites contra juſtitiam 1. ſi caſtra deſerant: quin immo deſer-

sertores peccant quoque ob violatam militaris sacramenti fidem. 2. Si stationem non servent, quam cum periculo vitae servare tenentur. 3. Si a militia ante condictum tempus sub mendaci praetextu excedant. 4. Si duci obedire detrectent.

Altera obligatio est caritas, & mansuetudo erga populos, pro quibus militant. Contra hanc peccant militiae Officiales, qui per regiones transeuntes, pecunias a plurimis Pagis accipiunt, ne illic pernoctent aut morentur, alios subinde Pagos militum copiis plus justo onerantes: Item si eos qui stipendia non merent, perinde ac milites sint, in hospitium excipi curent. Peccant quoque milites, qui rusticos vexant, eorum agros, & bona depopulantes: nec Ducum conniventia excusantur, nisi rustici rei sint, & justa poena plecti mereantur.

Tertia denique obligatio fides est & justitia erga hostes. Hinc peccant Duces, & milites, qui fidem datam non servant, aut fraudulenter interpretantur. Item quando exigunt contributiones a Civitatibus hostilibus, quae, summâ pecuniariâ Principi vel Duci solutâ, exactionem omnem redemerunt. Cetera ex generalibus Justitiae principiis facile resolvi possunt.

Q. X. *An Clericis & Religiosis liceat pugnare?*

R. *Ordinarie* non licet, cum nihil aliud

aliud repugnet eorum ſtatui, quam militia. Merito lege Eccleſiaſtica ſub graviſſimis poenis prohibentur Clerici propria manu pugnare. *Cauſſ.* 33. *q.* 8. & *cap.* Ex multa *de voto*.

Extraordinarie licet, puta ſi neceſſarium ſit ad defenſionem propriae vitae, patriae, religionis. Cetera diſcutiemus in *Tract. de Irregul.*

Q. XI. *An liceat pugnare die feſto?*

R. Affir. cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 40. *art.* 4. *ſi hoc neceſſitas expoſcat.... ſed neceſſitate ceſſante, non eſt licitum bellare diebus feſtis.*

Q. XII. *Quid ſint Repreſſaliae, & an ſint licitae?*

R. I. *Repreſſaliae* proprie vocantur civium manus injectiones, Principis auctoritate, in res alterius Reip. alias amicae, ob denegatam civi noſtro juſtitiam.

Dicitur 1. *Repreſſaliae*. Ita vocari coepit jus iſtud, ex quo invaluit: nec Latina Lingua vocabulum ſuppeditat, quod ejus indolem exprimat.

2. *Principis auctoritate*, ſive Repreſſaliis non utendum, niſi Principis juſſu. 1. Quia vis prohibita privatis. 2. Quia ſaepe ſunt belli praeludium. Ita communiter contra *Grotium* & *Bodinum*, qui exiſtimant jus hocce a pignorandi jure, quod omnibus competit, derivari.

3. *Civium manus injectiones &c.* quan-

do scilicet nostri res exterorum intercipiunt.

4. *Alterius Reip. alias amicae.* Quia hoc jus locum semper habet, etiam in pace; modo nobis, nostrisve jus denegetur.

5. *Ob denegatam civi nostro justitiam:* hae particulae caussam produnt, cur Princeps hoc jure uti valeat. Si enim Principi injuriam sibi, subditisve illatam, bello fas est vindicare: licebit quoque ob injuriam uni alterive civium illatam, manus in res alterius injicere.

R. II. Ex dictis patet, repressalias esse licitas, modo adsint requisitae conditiones, scilicet 1. ut Principis laesi auctoritate fiant. 2. Ut constet de illata injuria, & denegata justitia. 3. Ut non plus damni inferatur, quam justa requirit satisfactio. 4. Ut fiant in bonis subditorum. Hinc cives temporarii, transeuntes, ut sunt mercatores exteri, qui ex parte laedente veniunt, repressaliis premi non possunt: item Legati, quorum res ac personae a vi immunes esse debent. 5. Demum ut fiant in personis, rebusque sacris. *Cap. un. de Injur.* in 6.

§. VII.
De Duello.

Q. I. *Quid sit Duellum?*

R. Duellum est singularis pugna ex con-

condicto, i. e. designato loco ac tempore. Distinguitur a rixa, quae fit sine loci ac temporis designatione.

Q. II. *Num Duellum sit licitum?*

R. Neg. Et quidem omni jure, & sub poenis quamplurimis prohibitum.

Prob. I. Duellum est illicitum jure naturae. Rectae enim rationi adversatur, ut homo absque legitima caussa mortis periculo sponte se exponat, cum nemo sit vitae membrorumque suorum dominus. Item cum recta ratione pugnat, alterius vitae mortem intentare.

Prob. II. Lege Divina Duellum esse prohibitum, non est ambigendi locus, ex illo generali vetito, *ne occidas*, a quo vix excipitur homicidium ex inculpata tutela.

Prob. III. Jure Canonico prohibentur Duella, ut videre est in Tridentino *sess.* XXV. *cap.* 19. In jure vero civili Romano nulla legitur constitutio, quae expresse Duella prohibeat, cum hae singulares dimicationes Veteribus fuerint ignotae; ideoque cujusque Regni leges observandae sunt. In Nostro autem exstant Pragmaticae duae, in quarum prima edita an. 1532. ad Duellum provocans capite plectitur, provocatus vero si recusaverit, dedecoris nota non inuritur. Altera vero an. 1621. edita primam ratam habet atque confirmat: gravioresque tum in provocantes, tum in acceptantes Duellum poenas decernit.

Excipiuntur aliqui casus, quibus Duellum asseritur licitum.

I. Est, quando publica auctoritate singulare certamen indicitur, ut bellum minore cum damno absolvatur. At hoc non est proprie Duellum, de quo loquimur, ad vindictam privatam comparatum: sed bellum repraesentativum, quale fuit singulare certamen Davidis & Goliath, Horatiorum & Curiatiorum apud *Livium*, Aeneae ac Turni apud *Virgilium*, aliaque. Adeatur *Grotius de J. B. & P. lib.* 3. *cap.* 20. §. 43. *Heineccius in praelect.* ad hunc *Grotii* locum, & *Pufendorfius de Off. Hom. & Civ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 13.

II. Est, si judex singulari certamini duos ultimo supplicio juste addictos hac lege exponat, ut vita fruatur qui e pugna sospes evaserit. Sed hic puniendi modus a multis non approbatur, utpote actio stolida & crudelis, quae gentilium mores imitatur, ut in ludis gladiatoribus. *Grotius* ibid. *lib.* 2. *cap.* 1. §. 15.

Q. III. *Num liceat Duellum ad vitandum periculum vitae, honoris, aut fortunarum?*

R. I. Quod attinet ad periculum vitae, defensio privatis nulla, ubi non praesentissimum periculum. In Duello vero provocatus potest magistratus auxilium implorare.

R. II. Honor nec defenditur, nec recu-

cuperatur vindictâ privatâ: quin imo cum honor sit opinio de excellentia, haec augetur potius quam minuitur, quando quis in ferendis injuriis patientem se mirifice ostendit. *Nec refert*, ait *Grotius* loco cit. §. 10. *si quidam corrupto judicio virtutem hanc in probrum confictis nominibus traducant. Perversa enim illa judicia nec rem, nec rei aestimationem immutant. Nec Christiani veteres hoc tantum viderunt, sed & Philosophi, qui dixerunt, pusilli esse animi contumeliam ferre non posse.*

R. III. Quamvis statuatur licita esse rerum nostrarum defensio occisiva, non est tamen admittenda nisi eo casu, quando praesentissimum adest periculum. Numquid magis liceat pro rebus tuendis, quam pro vita? Ceterum an liceat occidere bonorum fortunae invasorem, discutietur in *Tract. de Restit. in particul.*

Q. IV. *Num liceat Duellum in statu naturali?*

Status naturalis est hominum extra societatem viventium: ab hoc statu exulant humanae leges & magistratus, utpote hominum ab omni imperio & subjectione politica liberorum. At hi homines a lege naturali & divina non sunt immunes. Contra status civilis est hominum in societate viventium, qui imperio & politicae subjacent potestati.

R. Neg. Duellum enim prout a nobis

definitum est, rectae adversatur rationi, sponte scilicet mortis periculo vitam exponere suam, alienamque eripere pro honore & gloria. Verum licita est sui rerumque suarum defensio, licitum bellum, dummodo justum sit, conditionibusque in §. anteced. traditis communitum. Perperam igitur nuperus quidam Casuista docuit, Duellum in statu naturali licitum esse ad conservandas cum honore divitias. Hanc vero duellandi licentiam pro statu naturali idem Theologus extendit etiam ad statum civilem, cum justitia a Magistratu aperte denegatur. At haec duo principia a *Benedicto* XIV. damnata sunt.

Ex his colliges, non licere Duella indicere ad solam virium ostentationem, aut ad spectaculum, quod apud Romanos factitatum legimus, aut ad vitandam ignaviae & pusillanimitatis notam, aut ad vindicandam injuriam acceptam, aut ad criminis purgationem: cum scilicet reo objectum crimen denegante, omnique alia probatione deficiente, is cum accusatore manus conferere jubebatur; ita tamen ut qui victor exsistebat, absolveretur, victusque damnaretur. Duellum hoc tanquam vanum & superstitiosum damnatur in *cap.* Monomachia 11. *q.* 5.

De Duello damnatae propositiones a Rom. Sede, sequentes sunt:

Vir equestris ad Duellum provocatus, potest

est illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. 2. damn. ab *Alexandro VII.*

Vir militaris qui nisi offerat, vel acceptet Duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur; indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur; vel promotionis alias sibi debitae, ac promeritae, spe perpetuo carere deberet, culpa & poena vacaret, sive offerat, sive acceptet Duellum.

Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratiâ, Duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

Non incurrit ecclesiasticas poenas contra Duellantes latas, Dux vel Officialis militiae, acceptans Duellum ex gravi metu amissionis famae, vel officii.

Licitum est in statu hominis naturali acceptare & offerre Duellum ad salvandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentiâ, vel malitiâ Magistratus, justitia aperte denegatur.

Hae quinque propositiones damnatae fuerunt a *Benedicto* XIV. in sua Constit. quae incipit, *Detestabilem*, edita die 13. Novem. an. 1752.

Q. V. *Quaenam poenae constitutae sint*

ſint in provocantes, & acceptantes Duellum?

R. Poenae ipſo facto incurrendae (omiſſis aliis, quae ad Confeſſarios non pertinent) ſunt, *Excommunicatio* Papae reſervata contra Duellantes, complices, ac ſpectatores, qui de induſtria accedunt, & quodammodo animant pugnantes: & *Privatio* eccleſiaſticae ſepulturae decedentibus in Duello, etſi dederint ſigna poenitentiae, ut ſancitur in *Bulla* Deteſtabilem *Benedicti* XIV. Confer huc praeter Tridentini locum ſupra laud. *Bullam* Ad tollendum *Gregorii* XIII. & *Bullam* Illius vices *Clementis* VIII.

Nota, poenas haſce incurri ob Duellum ſtricte ſumtum, ſcilicet deſignato loco, tempore, & armis. Quapropter pugnae ex ſubitanea ira ortae, Duellum proprie non ſunt; etſi pugnantes ſeſe percutiant, vulneraque ſibi infligant. Hinc ſi quis ob actualem injuriam dicat inimico, te exſpecto foris, & alter accedat, ac pugnent: vel ſi duo ſciant ſe obviam ituros eo loci, & hora, & uterque accedat animo pugnandi, ibique pugnent, duellantium poenas non incurrunt, cum deſit loci ac temporis deſignatio.

F I N I S.

ELEN-

ELENCHUS

Capitum, Sectionum, Paragraphorum, Quaestionum, & Propositionum, quae in hoc primo Tomo continentur.

Tractatus de Conscientia, & de Legibus.

qua

Cap.

Tractatus de Peccatis. 258

 stin-

Q. IV

FINIS.

Mendorum Correctio.

pag. 21 lin. 31 *proponeret* l. *praeponeret*. p. 61 l. 11 praecipiat l. praecipit. p. 74 l. 3 possit l. potest. p. 118 l. 26. singuli l. singulae. p. 125 l. 9 praecepto l. praecepta. p. 128 l. 15 *De Lege Irritante* l. *De Lege Poenali*. p. 195 l. 15 vetitum l. volitum. p. 205. l. 4. Confessarius l. Confessariis. p. 218 l. 19 invincibiles l. invincibilia. p. 305 l. 24 suspiciendam l. suscipiendam. p. 315 l. 10 *art. 9.* l. *art. 3.* p. 410 l. 31 times l. timeas. p. 437 l. 19. *Belli, Ducum* l. *belli Ducum*. p. 440 l. 24 ut l. ne.

Illmus ac Rmus D.D. Franc. Can. Valle S.Th. M. ac Curiae Archiep. Exam. Synod. revideat, & in scriptis referat. Datum die 26. Aug. 1769.

F. X. EPISC. VENAFRANUS V. G.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISS. PRINCEPS.

Elementa isthaec Theologiae practicae ad institutionem Adolescentum tui Archiepiscopalis Lycei superioribus editis ceterarum facultatum elucubratiunculis peropportune accedunt, quibus morum praecepta ad Sacrae Scripturae, Patrumque doctrinam, Sacrorum Canonum, jurisque Caesarei Sanctiones perquam apposite, eleganterque traduntur: Praecipuum vero Auctoris Clarissimi opus elucet, quod patrias leges nostras, & mores quoquò se offerant juri communi vel augendo, vel derogando, vel immutando, sapientissime adjecerit; quo fit, ut Adolescentes quid jure patrio, & moribus sancitum sit, unico veluti obtutu nanciscantur. In hoc sane ipse prior facile vel unus omne tulit punctum; Typis dignum opus hocce sentio, dum Auctoritas tua, quae supremum jus est, Praesul Eminentissime, tum Auctori, tum operi condecorando accedat. Datum Neapoli XII. Calendas Novembres Anno Domini MDCCLXIX.

Tibi, optime Princeps

Obsequentissimus, Humillimusque

F. C. Valle.

Attenta relatione Illmi ac Rmi Dom. Can. Revisoris imprimatur. Datum die 31. Oct. 1769.

F. X. EPISC. VENAFRANUS V. G.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Rmus U. J. D. D. Joseph Can. Simioli in hac Reg. Studiorum Universitate Professor Prim. revideat, & in scriptis referat. Datum Neapoli die 9. M. Septembris 1769.
NICOLAUS DE ROSA EP. PUT. C. M.

ILLme ac Rme PRÆSUL.

Elementa hæc Theologiæ practicæ sive Ethices Christianæ in compendium collata, apta methodo concinnata, clara & nitida oratione scripta perlegi: testorque auctorem facultatis hujusce callentissimum, Religionis negotium, ut fas erat, absolvisse, jura Majestatis, ut par erat, veritum esse, nihil demum quod tyronibus perutile, quod doctioribus non injucundum foret, ut jus erat, omisisse; typis excudi, si tibi placeat, Illme Praesul, non prohibeo. Datum Neap. 14. Calendas Octobres 1769.

Humillimus atque addictissimus Famulus
Joseph Can. Simioli S.Th. Lector Primarius.

Die 11. Mensis Octobris 1769. Neapoli.

Viso rescripto suæ R. Majestatis sub die 27. proximi elapsi M.Sept.curr. An. ac relat. Rev. U.J.D.D.Joseph Can. Simioli, de Commissione Rev. Reg.Cap.M. ordine præf. R. Majestatis.

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev.Revisoris. Verum in publicatione servetur Regia Pragm. Hoc suum.

GAETA SALOMONIUS

Vidit Fisc. C.

Reg.

Carulli. Athanasius.